CATECHESIS RECENS RECOGNITA.

A

DAVIDE CHYTRAEO.

VVITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.

ANNO M. D. LX.

VDB
Oldb

REVEREN-
DI VIRI, ERVDITIONE SAPIENTIA ET VIRTVTE PRÆSTANTIS, D. GERARDI OMKEN, SVPERINTENDENTIS ECCLESIARVM IN DITIONE MEGAPOLENSI, FILIO, FRANCISCO OMKEN, DAVID CHYTRÆVS S. D.

SEMPER NOBIS IN conspectu sit dulcissima sententia Græci uersus, Ἀρχὴ ἁπάντων καὶ τέλος πίστις θεόν. Vt enim uitę nostrę principium à DEO duximus, sic in omnibus uitæ consilijs, studijs, & actionibus, quas nobis & alijs salutares esse cupimus, necesse est à Deo exordium capi & diuinitus nostras mentes regi & iuuari. Deinde ad hunc finem à Deo conditi sumus, & ad hunc usum uita nobis datur & prorogatur, ut Deum

uera agnitione, & inuocatione, & pijs officijs celebremus, & omnia uitæ consilia ad illustrandam Dei gloriam referamus. Grauissime igitur hoc uersu Græco, qui extat in opere Antonij, quod Melissam inscripsit, monemur, ut in omnibus rebus Deum & principium & finem constituamus.

Quanquam autem Ethnici quoque saniores aliquam Dei noticiam retinẽt, ut Plato scribit, Discentibus hunc finem præcipue propositum esse debere, ut DEO GRATA dicere, & DEO GRATA facere possint: tamen nobis in Ecclesia Christi certa doctrina scriptis comprehensa immenso Dei beneficio commendata est, Quam uult Deus ueræ sui agnitionis & inuocationis & nostrorum studiorum & actionũ regulam & normam esse. Etsi igitur non omnes qui in studijs uersantur, ex professo Theologi futuri sunt: Nam hæc hominum uita alijs quoq; artibus indiget; tamen omnes, qui se homi-

homines dici, ac perhiberi uolunt: aliquid temporis discendæ ueræ de Deo doctrinæ tribuendum esse intelligunt. Cumq; agnitio & inuocatio Dei, & Filij ipsius Domini nostri Iesu Christi pertineat ad omnes homines & ad omnes ætates: necesse est statim teneris puerorum animis inseri doctrinam de Deo, præsertim in Ecclesia Dei & Scholis, quæ custodes doctrinæ cœlestis esse debent.

Quare in hac Schola pro mei officij ratione proposui auditoribus summam doctrinę diuinitus traditę distributam in paucos locos, & additis definitionibus eruditis ac partitionibus, quas ã meis præceptoribus Luthero, Philippo, Snepio, et Victorino didici, illustratam. Nec dubito hunc consensum esse Catholicæ Ecclesiæ Dei, cum quo etiam congruit Confessio Reuerendi uiri Patris tui, & illustrissimorum Principum, Ernesti & Francisci, fratrum, Ducum Luneburgensium & Brunsuuic; etc.

Qui & Baptiſmi, in quo te ad ueri Dei inuocationem & ad hanc doctrinam fide amplectendam Iure iurando adſtrinxiſti, teſtes fuerunt: Et cum ſocietate nominis ſui, etiam fidem & doctrinam de DEO, quam tempore Conuentus Auguſtani & deinceps, inter ſumma pericula confeſſi ſunt, tibi commendarunt.

Etſi autem Patris tui, uiri docti & ſapientis, iudicio permitto, an ex hoc libello, aut alijs, uelit teſummam doctrinæ à Deo traditæ cognoſcere: tamen cum ſciam de omnibus Locis doctrinæ Chriſtianæ, ſententiam ipſius cum conſenſu Catholicæ Eccleſiæ & communi Confeſſione Saxonicarum Eccleſiarum, quam & ego amplector, congruere: tibi, cariſſime Franciſce, hunc libellum Catecheſeos inſcripſi. Eam quoq; ob cauſam, ut, cum nuper magna cum uoluptate & admiratione coram cognouerim, te diligenter, & accurate ſum-

ſummam doctrinæ cœleſtis ā Patre tibi propoſitam, tenere, tuo exemplo alios quoq; Adoleſcentes ad amorem pietatis & diligentiam recte diſcendi Catecheſin inuitem.

Hic libellus primum ſtudio & diligentia pij & docti iuuenis Simonis Pauli collectus eſt, ex prælectionibus Catecheſeos, in quibus Methodum ueræ de DEO doctrinæ, breuiter comprehenſam, & uelut ἐπιτομῶ Locorum Theologicorum Philippi, Auditoribus tradere conabar.

Spero autem totam ὑποτύπωσιν, hoc eſt, formam & methodum doctrinæ, quam ā Præceptoribus meis acceptam propago, & Locorum, ac præcipue Virtutum ſeriem ac Definitiones, Lectoribus utiles & gratas fore. Bene ac fœliciter uale. Roſtochij, Anno M. D. LV. Die 25. Nouembris, Quo ante annos 1717 Iudas Maccabæus Templum Iero-

ſolymorum ab Antiocho prophanatum recuperauit, & Feſtum diem Encoeniorum ſeu Renoualium inſtituit, ut memoria mirandæ conſeruationis & inſtaurationis Eccleſiæ omnium temporum celebraretur.

Oremus igitur Deum, ut nunc quoq; reprimat Antiochos, qui moliuntur deletionem Eccleſiarum & Scholarum, in quibus pura uox doctrinæ de Deo ſonat: Et pios cœtus Eccleſiæ & diſcentium, ac docentium doctrinam ā Deo traditam, in hoc Baltici maris littore ſeruet & defendat.

PRO-

ΠΡΟΛΕΓΟ-MENA VTILIA.

Propter quas cauſas neceſſe eſt coli in SCHOLIS ſtudia literarum, & præcipuē Cateheſin diſci?

ONDIDIT DEVS HOmines, *ut ſint creaturæ rationales, quibus ſuam bonitatem, ſapientiam, iuſticiam & uitam, in omni æternitate communicet, et à quibus uiciſſim agnoſcatur & celebretur. Ideo immenſa bonitate generi humani ſe patefecit, tradita certa doctrina, in libris Prophetarum & Apoſtolorum, iuxta quam ſolam uult ab hominibus agnoſci, inuocari, coli & celebrari. Seueriſſime etiam mandat, ut homines hæc ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum legant, audiant, cogitent, alijs proponant & interpretentur.*

Propter hanc cauſam neceſſe eſt eſſe Scholas, in quibus literæ doceantur, & linguæ ac artes neceſſariæ ad cœleſtis doctrinæ explicationem, & ad Reipublicæ ac uitæ communis & priuatæ conſeruationem, tradantur.

Præcipue igitur singuli ad discendum moueamur seuerissimis Dei mandatis, qui præcipit doctrinam à se traditam audiri, disci, & propagari.

Matth.3. Æternus Pater de cœlo iubet audiri Filium, HVNC AVDITE. Necesse est igitur conciones seu doctrinam Christi, in Euangelistis, Prophetis & Apostolis descriptam legi, cognosci, & alijs cognoscendam perspicuè & diserte proponi.

1. Tim.4. Attende lectioni & doctrinæ.

Col.3. Sermo Christi habitet in uobis opulenter cum omni sapientia.

Iohan.14. Christus iubet seruari, hoc est, disci ac custodiri sermonem suum, et amplissimam promissionem addit, Quod custodes suæ doctrinæ sint futuri domicilia & templa Dei.

2. Tim.3. A puero sacras literas noueris, quæ te possunt erudire ad salutem. Omnis enim Scriptura &c.

2. Pet. 1. Attendite Prophetico sermoni tanquam lychno lucenti in loco caliginoso.

Iohan.5. Scrutamini scripturas.

Deinde, hic finis sit nobis in studijs propositus ut Deum recte agnoscamus et gloriam ipsius illustremus, 1. Cor.10. Matt.5. 1. Pet.4. Ephes.1.

Tertio, ut prosimus Ecclesiæ Dei, adiuuantes conseruationem ministerij Euangelici, & gubernationem Ecclesiæ.

Quarto,

Quarto, Vt tranquillitati & saluti Reipubquæ hospitium est Ecclesiæ Dei pro nostro loco & uocatione consulamus.

Quinto etiam, Vt honestum locum in communi uita, uictum, & necessaria ad uitam honeste sustinendam consequamur.

Sed principalis finis semper nobis in conspectu sit, uidelicet, Vera Dei agnitio & celebratio iuxta doctrinam in libris Prophetarum & Apostolorũ traditam, cuius summa in Catechesi comprehendi solet. Ideoq; prima cura omnium nostrum esse debet, ut Catechesin discamus.

Quæ est optima ratio discendi doctrinam Christianam?

Duo sunt præcipua instrumenta, quibus uera & salutaris Theologiæ cognitio parari potest.

I. Studium, seu Meditatio, seu Diligentia in discendo.

II. Experientia seu πρᾶξις, qua doctrina discendo percepta, ad usum transfertur, in quotidiana Inuocatione, in cogitatione de nostris peccatis & pœnis, in petendo & expectando auxilio Dei, in nostris studijs & laboribus nostræ uocationis obeuntis, in sensu publicarum calamitatũ, in doloribus ortis ex agnitione iræ Dei aduersus nostra peccata. Deniq; in quotidianis exercitijs pœnitentiæ.

Studium uero Theologicum seu Labores

bores Discendi, hisce regulis gubernentur.

I. Finis studiorum semper sit in conspectu, uidelicet, uera Dei agnitio & celebratio, ut scriptum est, Omnia ad gloriam Dei facite. Ad hunc finem omnes discendi labores referamus, et quotidiè ardentibus uotis à Deo petamus, ut ipse nostra studia Spiritu sancto suo gubernet & adiuuet. Nulla enim studia sunt salutaria, nisi à Deo mentes regantur.

II. Deinde prima cura sit, ut TEXTVM Bibliorum nobis familiarissimũ reddamus, ex quo solo uult Deus doctrinam de uera sui agnitione & æterna salute nostra sumi, & per lectionem Textus seu uerbi sui, accendit in nostris mentibus nouam lucem & alios motus spirituales. Quotidiè igitur mane & uesperi aliquid in Biblijs legamus, & ordine ea euoluamus, & præcipua dicta & historias, in partes Catecheseos seu in Locos Communes, qui summam doctrinæ Christianæ continent, digestas meminerimus.

III. SVMMA DOCTRINÆ Christianæ, continens præcipuos Articulos piè & erudite explicatos, animo amplectenda est, ad quam omnia, quæ in Theologia legimus, discimus, aut docemus, dextre referamus. Talis summa doctrinæ, uelut prolixior Catechesis, in Libro locorum communium Philippi collecta est, quem ordine & assiduè legamus & relegamus, donec & ueræ doctrinæ uelut corpus quoddam integrum animo informemus, & proprietatem ac perspicuitatem orationis in explicando, aliquantum nobis paremus. Ac prodest tantisper nullos alios commentarios ab Adolescentibus aspici, & illud Plinij accuratissimè seruari, qui monet, Non multa legenda esse, sed multum.

IIII. Ad discendam et docendam cœlestem doctrinam necessaria est Dialectica. Item copia rectæ, propriæ et perspicuæ orationis. Exercitatio disputandi. Noticia linguæ Græcæ & Ebreæ, Lectio commentariorum. Historia Ecclesiæ & imperiorum. Deniq; tota Philosophia. Sed de his alio loco dicendum est.

Nunc unam commonefactionem addam, Utilissimam esse in omni genere artium, ac præcipuè in doctrina cœlesti discenda, κατηχίσις, hoc est, talem formam institutionis, in qua uiua uoce auditoribus doctrina in certos locos distributa traditur, & uicissim auditores, ea, quæ audiuerunt & didicerunt, reddere & recitare coguntur.

Propter quas causas Catechesis, hoc est talis forma institutionis, quæ fit per Examen, in Ecclesia usurpatur; seu, quæ sunt utilitates Examinum in genere?

I. Examina augent in discentibus diligentiam, inten-

intentionem animi, & curam rectè & integre discendi ea, quæ proponuntur, cum sciant sibi ea quæ audiuerunt, in examine reddenda esse.

II. In Ecclesia necesse est singulos homines edere confeßionem suæ fidei. Ideo in primitiua Ecclesia instituebantur Examina, in quibus Catechumeni priusquam in Ecclesia per Baptismum reciperentur, testari seu confiteri solebant, se ueram doctrinam de Christo amplecti.

III. Ad fidelitatem Pastorum & docentium in Ecclesia pertinet, sciri quid intelligant, quomodo proficiant discentes.

IIII. Examina totum cursum studiorum continent intra metas certas, ne uagetur et aberret.

V. Adigunt ad discenda necessaria & utilia omißis non necessarijs & inutilibus. Plerumq; enim ut Seneca ait, Necessaria ignoramus, quia non necessaria didicimus.

VI. Corrigunt errores prius animo cõceptos.

VII. Augent acumen ingeniorum & formant iudicium.

VIII. Alunt & augent facultatem loquendi et facundiam.

IX. Adiuuant memoriam, ut ea, quæ percepit, prompte & celeriter, ubi res poscit, reddere poßit.

X. Tollunt superbiam & inanem persuasionem doctrinæ ac sapientiæ.

XI. Adsuefaciunt ad communicationem sermonis & humanitatem in omni uita.

XII. Formant pronunciationem seu actionem, in moderanda uoce, uultu, & uitandis gestibus ineptis.

XIII. Colloquia de doctrina salutari, dulcis consolatio sunt bonarum mentium in doloribus & ærumnis.

XIIII. Sunt imago cœlestis illius scholæ, in qua coram audiemus Doctorem filium Dei, & cum Præceptoribus nostris Prophetis & Apostolis colloquemur, & dictata reddentes plura ab eis discemus.

Has utilitates recitaui, ut cum plerique adolescentes, uel ignauia, uel superbia, fugiant Examina, aliquas bonas mentes ad amorem κατηχήσεος, seu Examinum, cum in cæteris artibus tum uero præcipue in doctrina Christiana, excuscitem.

Quæ est causa certitudinis in doctrina Christiana?

Causa certitudinis est Autoritas, & patefactio diuina, quæ extat in libris Prophetarum & Apostolorum. Quod autem sola hæc doctrina sit uera, certa & diuina testantur.

I. Miracula propria naturæ diuinæ & omnipotentis, ut resuscitatio mortuorum, repressus cursus solis et similia, quibus sola doctrina Christiana confirmata est.

II. Vni-

II. *Vniuersalis experientia omnium piorum, in quotidiana inuocatione & exercitijs pœnitentiæ.*

III. *Antiquitas.*

IIII. *Vaticinia illustria & perspicua de rebus maximis, de uoluntate Dei, de serie & mutationibus imperiorum, quæ omnia sic euenerunt, ut prædicta sunt.*

V. *Ipsum genus doctrinæ, patefaciens arcana & ignota humanæ rationi.*

VI. *Miranda conseruatio Ecclesiæ.*

VII. *Odium Diaboli ad hanc doctrinam.*

VIII. *Series doctorum & instauratorum doctrinæ continua, inde usq; ab initio generis humani &c.*

Hactenus προλεγόμενα *recitata sunt. Nunc summam doctrinæ Christianæ, breuiter & perspicuè exponemus.*

Definitio autem doctrinæ Christianæ, ex coaceruatione partium commodißime extruetur.

CATE-

CATECHESIS, SEV SVMMA DOCTRINÆ CRISTIANÆ, CERTA METHODO COMPREHENSA.

Quæ sunt præcipuæ partes doctrinæ Christianæ?

DVAE sunt præcipuæ partes uniuersæ doctrinæ Christianæ, LEX seu Præcepta Decalogi, Et EVANGELION seu promissio Gratiæ Dei & uitæ æternæ propter Christum donandæ.

Discrimen autem inter hæc duo genera doctrinæ, quod accuratißime in Ecclesia ab omnibus pijs disci, intelligi, & retineri necesse est, infra in Locis de Lege Dei, & de Iustificatione exponetur.

Ac possunt ad hæc duo genera, uidelicet ad Legem & Euangelion, pleriq; Loci Theologici apte referri. Sed tamen, ut Summa doctrinæ amplißimæ, in plura membra distributæ, illustrius & facilius ab Adolescentibus animo infigi poßit, sint in conspectu DECEM LOCI *præcipui, ad quos omnes sacræ scripturæ partes, omnes lectiones, conciones, & scripta Theologica, dextre & prudenter referantur.*

WBP
Opole

PARTES seu LOCI Doctrinę Christianæ præcipui, DECEM sunt.

I. De Deo, & tribus Personis Diuinitatis.
II. De Creatione.
III. De Lege Dei.
IIII. De Peccato.
V. De Remissione peccatorū seu Iusticia in Euangelio promissa.
VI. De Bonis operibus.
VII. De Sacramentis Baptismo & Cœna Domini.
VIII. De Pœnitentia.
IX. De Ecclesia, et de Cruce ac consolationib. Ecclesiæ.
X. De Immortalitate, De Resurrectione Corporum, Et uita Æterna.

Quod est discrimen inter doctrinam Christianam, et Religionem Ethnicam seu Philosophicam?

Ethnici seu Philosophi saniores, ut Cicero in Officijs, Cato, Seneca et alij similes retinent partem Legis diuinæ, seu præceptorum Decalogi, de Virtutibus & de externis moribus erga Deum & erga homines honestæ regendis. Sed doctrinam Euangelij de Filio Dei, domino nostro Iesu Christo prorsus ignorant. Et contra noticiam Legis, naturæ insitam, approbant cultus Idolatricos monstrosæ multitudinis Deorum.

Christiani autem, non modo Legem Dei integram, et illustrem. Sed etiam Euangelion habent, à uero Deo, cum antea ignotum esset omnibus creaturis, patefactum, quod est doctrina de gratia Dei, de remissione Pecccatorum, Iusticia & Vita æterna credentibus Gratis propter Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, donanda.

RPIMVS LOCVS.

DE DEO.

Recita ſummam doctrinæ de Eſſentia diuina, & de tribus perſonis diuinitatis.

Quid eſt Deus?

DEVS eſt eſſentia ſpiritualis intelligens, æterna, uerax, bona, iuſta, miſericors, caſta, liberrima, immenſę potentiæ & ſapientiæ, alia ā mundi corporibus. Pater æternus, qui Filium imaginem ſuam ab æterno genuit, & FILIVS imago Patris coæterna, & SPIRITVS SANCTVS procedens ā Patre & Filio, ſicut patefecit ſe diuinitas, quæ ſimul condidit ac ſeruat cœlum ac terram & omnes creaturas, & in genere humano colligit ſibi Eccleſiam, ut ab ea hæc una & uera diuinitas, patefacta certis teſtimonijs & per uerbum traditum Prophetis et Apoſtolis, agnoſcatur, inuocetur, & in uita æterna celebretur.

Quot ſunt Perſonæ Diuinitatis? Tres.

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

Quid eſt Perſona?

Perſona eſt ſubſtantia indiuidua, intelligens, incommunicabilis, non ſuſtentata in alio.

Cur tantum tres Perſonæ diuinitatis agnoſcendę & inuocandę ſunt, & non plures uel pauciores?

Quia Deus ſic ſe patefecit, in Baptiſmo Chriſti, et inſtitutione Baptiſmi noſtri, & alijs teſtimonijs.

Fundamentum autem totius doctrinæ Theologicæ eſt hæc ſententia: Quod non aliter ſit de Dei eſſentia & uoluntate ſentiendum aut docendum, quām ſicut ſe Deus, in ſuo uerbo, per Prophetas & Apoſtolos tradito, patefecit.

Recita Deſcriptiones & Diſcrimina trium Perſonarum diuinitatis.

PATER eſt prima perſona diuinitatis, quę ab aterno genuit Filium

coæternum, imaginem suam, & unā cum Filio & Spiritu sancto, omnes res ex nihilo condidit & conseruat.

FILIVS est secunda Persona diuinitatis, genita ab æterno à Patre, & est substantialis & integra imago æterni Patris, qui Filius postea fuit intercessor inter Deum & primos homines lapsos, & constitutus Mediator assumpsit ex uirgine Maria humanam naturam, factus est uictima pro nobis, & per eum ac propter eum solum datur ab æterno Patre Remissio peccatorum, Iusticia & uita æterna,

SPIRITVS SANCTVS est tertia Persona diuinitatis, ab æterno procedens à Patre & Filio, et mittitur in corda credentium, ut lucem recte agnoscentem Deum in eis accendat, & ueros motus, amorem, uitam & læticiam acquiescentem in Deo, & omnium uirium conformitatem cum ipso Deo instauret.

Quod

Quod est discrimen inter Nasci seu Gigni, & Procedere?

Nasci est à Mente. Procedere à Voluntate. Sicut enim Mens humana cogitando format imaginem rei cogitatæ: sic Pater æternus sese intuens ac cogitans gignit imaginem sui substantialem, quæ est Filius. Deinde sicut Voluntas humana habet impetus, & cor gignit spiritus, qui spargunt affectuum flammas: sic ex mutuo amore, quo se complectuntur Pater & Filius, procedit substantialis flatus, qui incendium amoris Dei & cæterarum uirtutum in nos perfert.

Quare Filius Dei dicitur λόγος seu Verbum?

Primum, Respectu æterni Patris, Quia est imago Patris et cogitatiõe, nascitur. Deinde, Respectu nostri. Quia primus dixit humano generi promissionem Euangelij ex arcano sinu Patris prolatam, ut Iohan. 1. di-

 citur:

citur: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

II. Quia conseruat ministerium huius sui uerbi, seu Euangelij.

III. Quia dicit in cordibus credentium consolationem Euangelij, qua eriguntur mentes sensu irę Dei perterrefactæ.

IIII. Quia dicendo ostendit nobis æternum Patrem. Matth. II. Nemo nouit Patrem nisi Filius & cui uoluerit Filius reuelare.

Quę Persona diuinitatis assumpsit humanam naturam?

Secunda Persona, uidelicet Filius Dei assumptam ex substantia uirginis Mariæ humanam naturam personali unione sibi copulauit, ita ut sit una persona Iesus Christus noster Mediator, Redemptor, Iustificator & Saluator.

Quid est Incarnatio Filij Dei?

INCARNATIO FILII DEI est

est unio personalis duarum naturarum, Diuinę de substantia æterni Patris ab æterno genitæ, & humanę ex substantia Marię uirginis assumptæ, facta mirando consilio diuinitatis, in Christo Mediatore, ut genus humanum ab ira Dei, & æterna damnatione sufficienti λύτρῳ redimeretur.

Quid est Mediator?

MEDIATOR est persona inter Deum irascentem peccato, & genus humanum reum peccati & iræ Dei constituta, ut iusticiæ Dei satisfaciat, sustineat iram & pœnam pro peccato, deprecetur pro nobis, applicet sua merita, & inuocantium gemitus & preces exaudiat.

Cur necesse fuit in Christo Mediatore nostro, duas naturas, diuinam & humanam inter se unitas esse?

Quinq; sunt causę?

Primum oportuit Mediatorem & Redemptorem esse Hominem. Quia enim genus humanum peccauerat, ordo iusticiæ postulabat, ut Homo pœnam persolueret.

Deinde oportuit esse Deum.

I. Vt esset λύτρον seu precium æquiualens.

II. Quia sola creatura non poterat sustinere iram Dei & pœnam, nec uincere mortem & restituere uitam & iusticiam æternam.

III. Quia Mediatorem oportet esse deprecatorem ingredientem in Sancta Sanctorum, uidentem pectus patris & corda inuocantium.

IIII. Quia naturæ diuinæ & Emanuelis est, assiduē & ubiq; adesse Ecclesiæ, ubiq; gemitus omnium aspicere, exaudire inuocantes, defendere, seruare, & restituere iusticiam & uitam æternam.

Quis est usus doctrinæ de tribus Personis Diuinitatis?

Vt

Vt Deus recte ā nobis agnoscatur & inuocetur.

Quod est discrimen ueræ & falsæ inuocationis?

Discrimina illustria sumi possunt ā causis impulsiuis, ab Obiectis, ab Adiacentibus. Sed usitatē recensentur hæc duo.

Prius sumptum ab Essentia Dei.

Posterius ā Voluntate Dei.

Ethnici, Turci, Iudei, etiamsi iactitant, se inuocare Deum conditorem cœli ac terræ, tamen ā uero Deo aberrant, &, sibi ipsis idolum sculpunt, quod compellant. Vnicus enim est & solus conditor cœli ac terræ, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, quem ipsi uel prorsus ignorant, uel contumelia afficiūt. Iohan: 5: Qui non honorat filium, non honorat Patrem.

Deinde de Voluntate Dei sunt incerti, quia promissionem Euangelij & Filium Mediatorem aspernantur.

Vera

Vera autem Inuocatio ad hunc unum Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, patefactum misso Filio & dato Euangelio, directa est. Deinde certò statuit, se recipi et exaudiri propter Christum Mediatorem.

SECVNDVS LOCVS.

DE CREATIONE.

Quid est Creatio?

CREATIO est actio externa Dei, qua Deus uolens, omnes res alias, uisibiles & inuisibiles, ex nihilo fabricauit, consilio suo, ut æternam Ecclesiam sibi conderet, à qua agnoscatur & celebretur, & in qua in æternum habitet.

Creatio cuius Personæ opus est?

Omnium trium personarum, æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, quæ simul omnes res alias condiderunt et conseruant, ut dicitur Psal. 33. Verbo Dõini cœli firmati sũt et spiritu oris eius omnis exercitus eorum. De Filio dicitur Iohan. 1. Omnia per ipsum facta sunt.

Quid est Prouidentia?

PROVIDENTIA est actio mentis diuinæ, qua omnia cernit, & cunctos euentus futuros prospicit. Deinde gubernatio Dei, qua naturam uniuersam ā se conditam sustentat & conseruat. Et præcipue curat genus humanum, custodit ciuilem societatem, punit atrocia scelera atrocibus pœnis, & tandem iustos præmijs ornat.

Hactenus de Deo Creatore, nunc de Creaturis ad imaginem Dei conditis dicemus. Sunt autem Creaturæ Rationales aliæ Incorporeæ & Inuisibiles, ut Angeli & Animæ hominum. Aliæ Corporeæ & uisibiles, ut Homines.

Quid est Angelus?

ANGELVS bonus est substantia

ſtantia creata, ſpiritualis condita ã Deo ad imaginem ipſius, hoc eſt, intelligens, uerax, iuſta, & liberrima, quæ non eſt pars alterius ſpeciei, & eſt immortalis, confirmata ã Deo, ut in Iuſtícia donata perſeueret, & ordinata, ut canat, Gloria in excelſis Deo, & ſit miniſtra Eccleſiæ.

Quid eſt Anima Rationalis?

ANIMA Hominis eſt ſubſtantia creata & ſpiritualis, cõdita à Deo ad imaginem ipſius, id eſt intelligens, uerax, libera, & iuſta, quæ eſt pars hominis, nec extinguitur cum ã corpore diſceſſit, ſed eſt immortalis & donec in corpore uerſatur, conuerti ad Deum poteſt adiuta à Deo, & deficere à Deo ſua ipſius Voluntate.

Quid eſt homo?

HOMO eſt ſubſtantia creata à Deo, habẽs corpus & animam intelligentem, condita ad imaginem Dei, ut Deum agnoſcat & celebret.

Quid

Quid eſt Imago Dei?

IMAGO DEI ad quam homo conditus eſt, erat ſimilitudo omnium uirium hominis cum Archetypo ſeu ipſo Deo, Videlicet in mente uera obedientia, ardens Dilectio Dei & lætícia in Deo, & in corde omnium affectuum conformitas cum Lege menti inſita. Epheſ. 4. Col. 3. 2. Corinth. 3.

TERTIVS LOCVS.

DE LEGE.

Quid eſt Lex Dei?

LEX DEI eſt doctrina, quam Deus in Creatione hominibus, indidit, & poſtea in monte Sina & alibi repetiuit, præcipiens quales nos eſſe oporteat, quę facienda, quę omittenda ſint, promittens bona, ſed cum conditione perfectæ obedientiæ, & de

denuncians iram Dei & ęternas pœnas omnibus non prestantibus perfectam obedientiam.

Summa autem Legis Dei sunt DECEM PRÆCEPTA, ut ā Prophetis, Christo, & Apostolis explicata sunt.

Alia et illustrior Legis Definitio proximis annis à Philippo tradita est.

LEX DEI est ęterna & immota sapiētia & regula Iusticiæ in Deo, discernens recta & non recta, & horribiliter irascens omni dissimilitudini et contumacię, quę repugnat huic normæ in ipso, & est patefacta hominibus in creatione, & postea sæpe repetita est & declarata uoce diuina, ut sciamus quod sit Deus & qualis sit, obligans omnes creaturas rationales, & postulās, ut omnes sint conformes ipsi, & damnans ac destruens omnes non conformes, nisi fiat remissio & reconciliatio propter Filium Mediatorem.

Quid

Quid est Euangelion?

EVANGELION est promissio de CHRISTO, seu doctrina non natura nota, sed ex arcano consilio Diuinitatis per Filium prolata, in qua Deus immensa misericordia propter Christum Filium suum GRATIS promittit remissionem peccatorum, Iusticiam, Spiritum sanctum & uitam æternam, omnibus agentibus pœnitentiam, & fide hæc promissa bona amplectentibus.

Summa autem Euangelij est hoc dictum Christi:

Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Joha: 3.

Vel Rom. 3. Iustificamur Gratis Dei Gratia per Redemptionem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propiciatorium per fidem nitentem sanguine eius &c.

Quod est discrimen Legis & Euangelij?

Tria ſunt præcipua & illuſtria diſcrimina.

Primum. Lex eſt natura nota, utpote inſita mentibus humanis in prima creatione, quę etiam poſt lapſum non prorſus extincta eſt. Ro: 1. & 2.

Euangelion non eſt natura notum, ſed à Filio Dei reuelatum eſt. Ioh. 1. Epheſ. 1. 3. Rom. 16. Gen. 3.

Secundum. A promiſſionibus. Lex promittit iuſticiam & uitam, ſed cum conditione perfectæ obedientiæ. Rom. 10. Qui fecerit hæc, uiuet in eis.

Euangelion uero promittit Remiſſionem peccatorum, Iuſticiam & Vitam æternam GRATIS, propter ſolum Chriſtum, non propter noſtram obedientiam erga Legem, Rom. 3. 4. 10.

Tertium ab Effectibus: Lex neminem iuſtificat, neminem liberat à peccato, neminem ſaluat, ſed tantum accuſat, monſtrat & auget peccatum, & damnat omnes homines propter peccatum. Deut: 27. Maledictus omnis &c. Rom. 3. 4. 5. 8. Galat. 3. 1. Corinth. 15. &c.

Euangelion uero eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti, & Gratis, propter Chriſtum donat credentibus remiſſionem peccatorum, iuſticiam & uitam æternam, Rom. 1. 3. Ro: 1.

Hæc doctrina de Diſcrimine Legis & Euangelij, lumen eſt in uniuerſa Eccleſiæ doctrina maximè neceſſarium ad ueram agnitionem Dei & beneficiorum Chriſti, ad ueram inuocationem Dei, ad fidem, ad ueros cultus Deo præſtandos, ad ueram conſolationem animorum et æternam ſalutem. Et eſt uelut norma ac Regula omnes controuerſias de Iuſtificatione & alijs grauiſſimis articulis præcipue gubernans ac dijudicans. Ideo diligentiſſimè imis pectorum penetralibus hæc doctrina de diſcrimine Legis & Euangelij infigenda eſt. Cui tantum tribuit Lutherus, ut ſcripſerit eum perfectum Theologum eſſe, qui in docendo & in doloribus conſcientiæ, Legem ab Euangelio accurate diſcernere poſſit.

Extructa ſunt autem hæc diſcrimina ex dictis, quæ extant, Iohan. 1. Lex per Moyſen data eſt, Gratia & Veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Deum nemo uidit unquam, Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit

Rom. 3. Nunc sine Lege Iusticia Dei manifestata est, testificata per Legem & Prophetas, Iusticia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt, &c. Lege totam illam partem capitis tertij.

Rom. 4. Si ex Lege est hæreditas aboletur promißio. Lex enim iram operatur, Ideo ex fide, ut gratis, ut firma sit promißio &c.

Rom. 8. Cum impoßibile esset Legi, iustificare, eo quod non seruabatur à carne, misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, et de peccato damnauit peccatum in carne, ut Iusticia Legis impleretur in nobis.

Rom. 10. Moses describit iusticiam Legis, quòd, qui fecerit eam homo, uiturus sit per eã. Cæterũ quæ ex fide est iusticia, sic loquitur etc.

Galat. 3. Totum caput & præcipuè hæc sententia. Si ex Lege est hæreditas, non iam est ex promißione, atqui Abrahæ per promißionem donauit Deus. Quid igitur Lex &c.

Ephes. Euangelium absconditum est à sæculis in Deo, qui omnia condidit per Iesum Christum, per quem audemus accedere cum fiducia per fidem illius.

Philip. 3. Omnia habeo pro damno, ut Christum lucrifaciam, utq; reperior in illo non habens meam iusticiam ex Lege, sed eam, quæ per fidem est Christi &c.

Gen. 3. Semen mulieris conculcabit, caput serpentis.

Gen. 12. In semine tuo benedicentur omnes Gentes. Huc conferatur caput tertium ad Galat, & dictum Deut. 27. Maledictus omnis qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis.

Ierem. 31. Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam cum domo Israel fœdus nouum &c. Confer Epistolæ ad Ebræos caput octauum & nonum &c.

Hæc testimonia, quæ recitaui, fundamentum continent doctrinæ de discrimine Legis & Euangelij. Ideo ab auditoribus diligentißime ediscenda sunt.

Nunc ad doctrinam de Lege Dei redeo.

Recita causas Legis Diuinæ.

Causa efficiens est immediate ipse Deus, qui hanc normam suæ sapientiæ & iusticiæ omnium hominum mentibus in prima creatiõe inseuit, & postea uoce sua in monte Sina & alibi illustrauit.

Materia in qua est, primum ipsa mens Dei, in qua perfecte lucet hæc sapientia & iusticia in Lege expressa, cuius radij in mentes humanas postea deriuati sunt.

Materia circa quam, Est conformitas ac obedientia, & dissimilitudo seu contumacia totius naturæ rationalis, quæ cum hac norma mentis diuinæ, in Lege expressa, perfecte congruere debet.

Forma est ęterna & immota norma Iusticiæ in Deo, obligans omnes uel ad obedientiam perfectam uel ad æternas pœnas.

Fines sunt.

Primus, Vt doceat, Quod sit Deus & qualis sit.

Secundus, Vt hominum natura cum hac norma congruat.

Tertius, Vt monstret, accuset et ęternis pœnis damnet omne peccatũ, non congruens cum hac norma.

Quid est Lex naturæ?

Lex naturę proprijssime est noticia Legis diuinæ insita ã Deo naturę humanæ, ut Rom. 2. dicitur; Opus legis scriptum in cordibus eorum. Et summa legis naturę in Decalogo comprehensa est.

Quod

Quod est discrimen inter Legem Dei seu Legem naturę, & Leges humanas?

Discrimina maxime illustria sunt hæc quatuor.

Leges humanæ seu positiuæ magistratuum sunt mutabiles, & obligant tantum certos homines, quibus latæ sunt, uel ad externam obedientiam præstandam, uel ad pœnas corporales sustinendas.

Sed Lex Dei est æterna & immota & immutabilis, & obligat omnes Angelos & Homines, uel ad perfectam obedientiam, uel ad pœnas æternas sustinendas.

Quot sunt partes legis Mosaicę?

Tres sunt.

1. Lex Moralis & æterna seu Decalogus:
2. Leges Ceremoniales seu Ecclesiasticæ.
3. Leges Forenses seu Iudiciales.

Cur Ceremoniæ & Leges Forenses Moysi nunc abrogatæ sunt,

cum tamen Decalogus perpe= tuò retineatur?

Tota Polítia Moysí propter hanc causam præcipuē ā Deo constituta est, ut esset certa sedes Ecclesiæ, & certus locus, in quo Christus iuxta promissiones exhíberetur: Et Ceremoniæ ac forenses Leges ideo latæ sunt, ut continerent hanc polítiam, & ā cæteris gentíbus distínguerent, usque ad tempus exhíbiti Christi. Postquam autem exhibitus est Christus, tota polítia concidit, et unā cum polítia etíam Ceremoniæ & Leges forenses, quæ tantum propter ípsam polítiam instítutæ fuerunt, extinctæ sunt.

Sed Lex Moralís seu Decalogus est æterna & immutabílis norma sapientiæ et iusticiæ in ipso Deo oblígans omnes creaturas rationales uel ad obedientíam, uel ad pœnam. Ideo nequaquam abolíta est exhíbito Christo, ut Matt. 5. dícitur: Non ueni soluere Legem sed implere.

Im=

Implet autem Christus Legem quatuor modis.

Prímum. Habendo & præstando perfectam obedíentíam pro sua per sona.

Secundo. Persoluendo pœnam sufficientem, quam nos nostra ino= bedientia meriti eramus.

Tertio. Docendo, & illustrando uerum & genuínum intellectum Legís.

Quarto. Efficiendo in credentib. nouam obedíentíam cum Lege con gruentem per Spíritum sanctum.

Cum Lex Moralís sit æterna & immutabilis, quomodo intelli= genda sunt hæc dicta, 1. Tím. 1. Iusto non est Lex posita. Rom. 6. Non estis sub Lege?

Iustificati fide in Fílium Dei líberati sunt etiam ā Lege Morali, quod ad maledictionem seu oblígationem & ad æternas pœnas attínet. Sed ta=

men manet æterna & immota obligatio ad obedientiam. Ideo enim Christus maledictionem Legis in se deriuauit, ut in natura humana obeentiam seu conformitatem cum Lege Dei instauraret.

Hinc intelligi potest, quid sit LIBERTAS CHRISTIANA, uidelicet Liberatio ā peccato, ab ira Dei, ā maledictione Legis, ā Ceremonijs & Legibus forensibus Moysi, & ā ritibus Adiaphoris extra casum scandali. Iohan. 8. Rom. 6. 7. 8. Ephes. 2. Gal. 3. 4. 5.

Quæ sunt præcipuę sententię legis Moralis? seu, Quot sunt præcepta Decalogi?

Decem. Recita.

PRIMVM PRAECEPTVM.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Nō habebis Deos alienos coram me &c.

Quæ

Quæ sunt Virtutes seu bona opera primi Præcepti?

Omnes uirtutes oriuntur ā cognitione, quia ignoti nulla cupido. Ideo & primum Pręceptum ab agnitione Dei orditur: Ego sum Dominus Deus tuus, et discernit Deum ab omnib. creaturis & commentitijs numinibus. Est autem hæc cognitio uel Essentiæ diuinæ, uel Voluntatis patefactæ aut in lege & comminationibus, aut in promissionibus & Euangelio. Cum Legem Dei & comminationes cognoscimus & uera assensione amplectimur, oritur Timor Dei. Cū aūt promissionem de Christo amplectimur, oritur Fides seu fiducia acquiescens in Deo & uiuificans corda & pariens Dilectionem erga Deum & erga proximum. Ex hoc fonte sumpta est distributio Virtutum primi præcepti, quas his duobus uocabulis, Timoris Dei, & Fidei, Philippus in Locis complectitur.

Vsi-

Vſitatum eſt autem una uoce Pietatis ſeu Religionis omnes totius primæ Tabulæ Virtutes comprehendi, ſed ut illuſtrior ſit explicatio, prodeſt eas euolui, & in plures ſpecies diſtribui, quarum ſingulæ appellationes, ſæpe plures alias per Synecdochen includunt. Recitabimus igitur ſine ſuperſtitione octo genera operum primi Præcepti. Ac Studioſos hortor, ut ſequentes Virtutum definitiones, uelut normas & Regulas omnium conſiliorum & actionum ſibi proponant.

I. Vera Noticia Dei.
II. Timor Dei.
III. Humilitas.
IIII. Fides.
V. Dilectio.
VI. Spes.
VII. Patientia.
VIII. Perſeuerantia.

I. VERA NOTICIA DEI eſt eſſentiam & uoluntatem Dei in Lege & Euangelio patefactam, recte agnoſcere, iuxta uerbum per Prophetas & Apoſtolos traditum & certis ac illuſtribus teſtimonijs miraculorũ, ut eductione populi Iſrael ex Aegypto, reſuſcitatione mortuorum & ſimilibus confirmatum.

Peccata pugnantia ſunt, Caligo et cœcitas mentis ignorantis Deum, omnes falſę opiniones de Eſſentia et Voluntate Dei non congruentes cũ uerbo per Prophetas & Apoſtolos tradito, uidelicet Ethnicæ, Philoſophicæ, Turcicæ, Iudaicæ, omnes hæreſes, corruptelæ Euangelij, Blaſphemiæ.

II. TIMOR DEI eſt expaueſcere conſpectu iræ Dei aduerſus peccatum, & metu iræ ac iudicij diuini uitare delicta, et ſe reuerenter Deo ſubijcere, & uoluntate ac uerbo Dei omnia conſilia & omnes actiones, in uita ſpirituali & ciuili gubernare.

Extrema ſunt, Securitas ſeu eſſe ſine cura, ſine timore iræ & iudicij diuini, et Superſtitio trepidans timore,

re,ubi non eſt timor,ut Pſalm.14.dicitur.

III. Vicina uirtus Timori Dei eſt HVMILITAS *ſeu* ΤΑΠΕΙΝΟΦΡΟΣΥΝΗ,quæ eſt uerè timere Deum, et agnitione propriæ infirmitatis non appetere maiora uocatione, nec deſpicere alios,Sed fiducia auxilij diuini facere neceſſaria uocationis officia,et ſcire nullius induſtriam fœlicē eſſe,niſi iuuante Deo. Eſt etiã in pœnis præſtare obedientiam & non iraſci Deo tanquam iniuſte punienti.

Extrema ſunt Ficta ſeu ſimulata Humilitas & Superbia:

IIII. FIDES eſt notícia omnium articulorum doctrinę Chriſtianæ,& aſſenſus,quo amplectimur totam doctrinam ã Deo nobis traditam,& in hac promiſſionem gratuitæ reconciliationis, certò donandæ propter Chriſtum Mediatorem,et eſt fiducia acquieſcens in miſericordia Dei propter Filium Mediatorem promiſſa, & certo ſtatuens ſibi ipſi peccata remitti propter Chriſtum.

Pec-

Peccata pugnantia cum Fide octo ſunt.

I. Dubitationes Epicureæ & Academicæ, de Deo, de Prouidentia, & certitudine doctrinæ per Chriſtum & Apoſtolos traditæ.

II. Diffidentia erga Deum.

III. Dubitare de Remiſſione peccatorum, an ſimus in gratia Dei, an Deo placeamus.

IIII. Deſperatio.

V. Confidentia ſeu præſumptio.

VI. Fiducia humanorum auxilio-
VII. Superſtitio. (rum.

VIII. Magia.

V. DILECTIO eſt,poſtq̃ uera fide apprehenſa eſt miſericordia propter Chriſtum promiſſa,uiciſſim cor ſubijcere Deo et ſeruare mãdata Dei cum quadam lætícia acquieſcente in Deo. Vel Dilectio eſt obediẽtia uniuerſalis iuxta totam Legẽ,ut dicitur Ro:13. Dilectio eſt impletio Legis.

Peccata pugnantia ſunt omnes prauæ inclinationes,OdiumDei,ſtu-

por

por nostrorum pectorum non senti ens ardentes flammas dilectionis, de nicq; omnium cæterarum uirtutum extrema,

VI. SPES est certa expectatio uitæ æternæ iuxta promissionem in Euangelio expressam, & est expectatio mitigationis calamitatum in hac uita, iuxta consilium Dei.

Extrema Fidei & Spei sunt, Desperatio & Præsumptio.

VII. PATIENTIA est obedire Deo in tolerandis aduersis, ita ne faciamus aliquid cõtra mandata Dei, sed fide agnoscamus eũ nobis propitium esse, & speremus auxilium Dei, mitigationem et liberationem, & hac fide et spe dolorem leniamus.

Extrema sunt Impatientia, et Hypocritica tolerantia cruciatuũ sponte accersitorum, ut in flagelliferis, Eremitis & similibus.

VIII. PERSEVERANTIA est in uera agnitione Dei & fide in Christum constanter & perpetuo usq; ad extremum uitę spiritum permanere.

Extre=

Extrema sunt Defectio ã Fide, & Pertinacia in opinionibus impijs, aut superstitiosis cultibus.

Extrema communia seu peccata pugnantia cum tota prima Tabula sunt.

Epicureus ac Cyclopicus contemptus Dei.

IDOLOLATRIA quę est uel fingere, hoc esse Deum, quod non est Deus: uel honorem Deo propriẽ debitum tribuere cuicunq; rei, quæ nõ est Deus; uel alligare Deum ad aliquam rem, ad quam se ipse non alligauit suo uerbo: uel eligere & instituere cultus sine uerbo ac mandato Dei, & confidere his cultibus, quod propter eos Deus nobis propitius sit & benefaciat.

HYPOCRISIS est simulatio Pietatis, iusticiæ & sanctitatis externæ, cum tamen cor sit sine uero Timore Dei & sine Fide, plenum dubitationibus, prauis inclinationibus & affectibus, superbia, admiratione sui etc.

SCANDALVM est aut falsa do

ctrina, aut malum exemplum, quod gloriæ Dei & saluti aliorum hominum nocet, uel quia seducit alios, uel quia deterret alios ab Euangelio, uel quia præbet occasionem maledicendi Euangelio & Ecclesiæ, uel quia alios ad imitationē inuitat, uel quia serit alia plura peccata.

SECVNDVM PRAECEPTVM.

Non assumes nomen Domini Dei tui inuanum.

Quę sunt Virtutes seu Bona opera Secundi præcepti?

I. Vera inuocatio Dei.
II. Gratiarum actio.
III. Vera prædicatio.
IIII. Confessio.
V. Iusiurandum.

I. VERA INVOCATIO Dei est motus cordis & linguæ, qui ā uero Deo patefacto in promissione Euangelij & misso Filio, petit & expectat bona æterna & corporalia, & repugnans dubitationi certō statuit ā Deo recipi & exaudiri preces, iuxta ipsius promissiones propter Christum Mediatorem.

Extrema sunt, Omissio Inuocationis, Et omnes falsæ Inuocationes Ethnicæ, Turcicę, Papisticæ, Inuocatio hominum mortuorum.

II. GRATIARVM Actio est mente & uoce confiteri, quod bona spiritualia & corporalia non casu offerantur, nec nostra sapientia & uiribus tantum parentur & conseruentur, sed quod Deus uerē omnium beneficiorum autor sit, & propterea uero corde se ei subijcere & obedire, ut Deus gloria ornetur, & plures ad ueram agnitionem & inuocationem Dei inuitentur.

Extrema sunt, Ingratitudo & Simulata Gratitudo qualis est Pharisæi Luc. 18.

III. VERA PRAEDICATIO est doctrinam ā Deo traditam, Legem & Euangelion, uel in publico ministerio, uel alibi, pro suo loco & uocatio-

catione, recte & pure docere & corruptelas dextrē refutare.

Extrema sunt, Corruptelæ doctrinæ, Hæreses, Negligentia in docendo, Curiositas in tractandis materijs non necessarijs.

IIII. CONFESSIO est ueram de Deo doctrinam constanter profiteri, nec abijcere eam propter terrores, odia, supplicia, uel gratiam potentum, propter hunc finem, ut Deo obtemperetur, & ne uera Dei notícia in terris extinguatur.

Extrema sunt, Defectio ab Euangelio, & Pertinacia in causis impijs.

V. IVSIVRANDVM est inuocatio ueri Dei, qua citatur tanquam testis uerus, & petitur, ut seuerē puniat mentientes.

Extrema sunt, Periuria, & Superstitiosa obseruatio impiorum iuramentorum.

TERTIVM PRAECEPTVM.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.

Præcipit conseruationem ministerij Euangelici, Ad quam in docentibus necessaria uirtus est Fidelitas in omnibus ministerij partibus obeundis.

In Auditoribus, Diligentia in audienda & discenda doctrina & usu Sacramentorum.

Reuerentia et obedientia erga ministros,

Aequitas tegens & condonans quasdam infirmitates ministrorum.

Collatio facultatum ad alendos docentes.

Quid est Ministerium Euangelij?

MINISTERIVM EVANGELII est mandatum diuinum docendi uerbum Dei, Legem & Euangelium, administrandi Sacramenta, annunciandi Remissionem peccatorum multis uel singulis, ornandi Ecclesiæ

miniſtros excommunicandi contumaces in manifeſtis flagitijs perſeuerantes: & abſoluendi ac recipiendi agentes pœnitentiam.

Quid ſunt Scholæ?

SCHOLAE ſunt pars miniſterij Euangelici, et ſunt cœtus docentium ac diſcentium diuinitus inſtituti, ut ſint ſeminaria Eccleſię, et doceant ac diſcant ueram de Deo doctrinam, et literas, linguas, et artes, ad explicationem doctrinæ cœleſtis, & ad conſeruationem Reipublicæ & uitæ communis ac priuatæ neceſſarias.

Cum precepta Decalogi ſint eterna & immota, cur Lex de obſeruatione Sabbati à Chriſtianis abrogata eſt?

Lex de Sabbato partim Moralis eſt, quod ad genus, hoc eſt, ad conſeruationem publici miniſterij attinet: partim Ceremonialis, ſcilicet, quatenus ritum ſeptimi diei præcipit, qui unà cum ceteris Ceremonijs Moſaicis abrogatus eſt.

Quid

Quid de Ceremonijs in Eccleſia inſtitutis ſciendum eſt?

Ceremoniæ aut ſunt.

Diuinæ ſeu à Deo mandatæ in

Veteri Teſtamento. Leuiticæ, hæ erant nerui publicorum congreſſuum, & Typi beneficiorum Chriſti.

Nouo Teſtamento. Sacramenta quorum fines infra recitabimus.

Humana authoritate inſtitutæ. Hæ obſeruandæ ſunt propter diſciplinam & bonum ordinem. Et nequaquam aſſuenda eſt opinio, quod mereantur remiſſionem peccatorum, aut ſint cultus Dei per ſeſe, aut ſint opera meliora & magis placentia Deo, quã ea quæ Decalogus præcipit, aut quod ſint neceſſaria ad ſalutem.

QVARTVM PRAECEPTVM.

Honora Patrem & Matrem.

Quę ſunt Virtutes ſeu Bona opera Quarti præcepti?

I. Pietas ſeu Philoſtorgia.
II. Iuſticia Vniuerſalis.
III. Iuſticia Diſtributiua.
IIII. Reuerentia.
V. Gratitudo.
VI. Sedulitas.
VII. Grauitas.
VIII. Modeſtia.

I. PIETAS *ſeu* PHILOSTORGIA eſt Virtus, quæ Parentibus & Liberis & cæteris ſanguine iunctis tribuit conuenientem honorem & debita officia.

Peccata pugnantia cum pietate ſunt, Aſtorgia, Indulgentia, & Impietas.

II. IVSTICIA Vniuerſalis eſt obedientia erga omnes Leges & Magiſtratus in ſocietate politica, quæ honeſtis legibus Regitur.

Quid eſt Politia?

POLITIA eſt legitima ordinatio certi cœtus hominum honeſtis legibus cum norma legis naturæ congruentibus conſociati, in quo per certos magiſtratus legibus ordinatos, iuxta certas leges, retinetur diſciplina & pax, propter hunc finem principalem, ut in pace ciues ſint ꝗ beatiſſimi & quam maximè inter ſe amici, hoc eſt, ut doceri homines de Deo, & educari ac inſtitui ſoboles, honeſtè regi diſciplina, & colligi deo æterna Eccleſia poſſit.

Quid eſt Magiſtratus?

MAGISTRATVS eſt Gubernator Dei ordinatione conſtitutus, ut ſit nutricius Eccleſiæ Dei & Scholarum, & ſit cuſtos diſciplinæ ac pacis, iuxta leges naturæ & congruentes leges, et ſit executor legum, puniens pœnis corporalibus contumaces, & defendens contra iniuſtam uiolentiam obedientes.

Extrema Iuſticiæ ſunt, Inobedientia ſeu contumacia ſeu contemptus ſuperiorum Magiſtratuum &

Legum, Seditio, & Superstitiosa obseruatio quarumlibet legum.

III. IVSTICIA Distributiua est quæ proportione Geometrica discernit gradus personarum & officiorum in uita, & singulis conuenientem locum & honorem & conueniens munus attribuit.

Extrema sunt, Confusio graduum, Tyrannis.

IIII. REVERENTIA est uirtus, qua tribuimus alijs suum locum & dona Dei in alijs agnoscimus & magnifacimus, & agnoscentes nostram infirmitatem nos eis subijcimus, & hanc subiectionem externis significationibus declaramus.

Extrema sunt, Superbia, & Assentatio.

V. GRATITVDO est Iustitia, quæ benemeritis debitam gratiam cum animi beneuolentia, tum alijs officijs reddit.

Extrema sunt, Ingratitudo, & simulatio Gratitudinis, quæ fit uerbis inanibus.

Se-

VI. SEDVLITAS est Iustitia suos cuiq; labores attribuens, & inclinans Voluntatem, ut diligenter, fideliter & constanter, propter Deum & communem salutem, faciat labores uocationi conuenientes.

Extrema sunt, Ignauia, & πολυπραγμοσύνη seu curiositas.

VII. GRAVITAS est Virtus, quæ necessaria uocationis officia facit constanter, hoc est, eodem modo, et omnes actiones & gestus regit, ut congruant personis, locis, temporibus & alijs circumstantijs.

Extrema sunt, Leuitas & Morositas.

VIII. MODESTIA est uirtus, quę frenat nos, ne in opinione de nobis, aut sermone, aut in actionibus supra nostras uires nos efferamus, nec extra uocationem aliquid suscipiamus, nec despiciamus alios. Sed in Timore Dei & fide diligenter faciamus officia uocationis, et necessaria constanter, id est, eodem modo, iuxta rectam rationem faciamus, &

in

in geſtibus non diſcedamus â natura, perſonarum ac locorum ordine.

Extrema ſunt Arrogantia, Iactantia, Ambitio, Inciuilitas morũ. Scurrilitas in geſtu & ueſtitu, Obſcœnitas, & impudentia.

QVINTVM PRAECEPTVM.

Non occides.

Quę ſunt Virtutes ſeu Bona opera Quinti præcepti?

I. Iuſticia Particularis.
II. Iuſticia puniens ſcelera.
III. Fortitudo Bellica.
IIII. Fortitudo Togata.
V. Patientia Philoſophica.
VI. Manſuetudo.
VII. ΕΠΙΕΙΚΕΙΑ.
VIII. Miſericordia.
IX. Candor.
X. Amicitia.

XI. Fide-

XI. Fidelitas.
XII. Studium Concordiæ.
XIII. Humanitas.
XIIII. Nemeſis.

I. IVSTICIA Particularis eſt uirtus, quæ nullius corpori, famę uel bonis nocet, ui, aut fraude, ſed debitum cuiq; reddit, & ſeruat æqualitatem.

Peccata oppoſita ſunt, Iniuria, quę eſt, uel ui, uel deſertione, uel fraude, alterius corpus, famam, uel bona, ledere ſine iuſta cauſa.

Petulantia, quæ ſine ulla cauſa alios contumelia afficit &, pro delectamento habet alijs damnum dare, uel quoslibet contumelia afficere.

Nequitia eſt adfectata leuitas, ſiue cum aliorum iniurijs, ſiue cum libidinibus coniuncta, ſiue gratis ludens.

Exceſſus eſt Summum ius ſeu calumnioſum.

II. IVSTICIA Diſtributiua Magiſtratibus afficiens ſceleratos pœnis.

Extre-

Extrema ſunt, Crudelitas, & Indulgentia.

III. FORTITVDO eſt uirtus, propugnatrix luſticiæ, ſuſcipiens pericula & labores pro defenſione Eccleſiæ, patriæ, honeſtæ diſciplinæ, coniugum, liberorum ꝛc. Et non abijciens animum in rebus aduerſis, nec efferens animum in rebus ſecundis.

Extrema ſunt, Timiditas deſerens eos, quibus debetur defenſio, & Temeritas accerſens pericula non neceſſaria & non depellens ea recta ratione.

IIII. FORTITVDO Togata eſt conſtantia animi perſeuerantis in propoſito honeſto rectē ſuſcepto iuxta uocationem, & tolerantis iniurias propter honeſtam cauſam, & excelſo animo deſpicientis uoluptates, honores, corruptelas, opes, obtrectationem, inuidiam uirtutis cauſa, ita uidelicet, ut propter hæc impedimenta propoſitum honeſtum non abijciat.

Extrema ſunt, Mollities animi, in iuſta pertinacia & ſtoica moroſitas.

V. Vicina uirtus eſt PATIENTIA Philoſophica, quæ obedit rationi in tolerandis iniurijs & omnibus rebus aduerſis, & moderatur dolorem, ne opprimat naturam, & ne impellat, ut contra Iuſticiam, Conſtantiam, Modeſtiam uel alias uirtutes faciat.

Extrema ſunt, Impatientia, & Stupor.

VI. MANSVETVDO eſt uirtus, quæ moderatur iracundiam & uindictæ cupiditatem, remittit offenſiones, & condonat etiam ueras iniurias, publicæ concordiæ cauſa.

Extrema ſunt, Iracundia, Odium, & Lentitas.

VII. Vicina & ferē prorſus eadem uirtus eſt EPIEIKIA ſeu AEQVITAS, quæ in perſequendis iniurijs remittit aliquid de ſummo iure, & tolerat in alijs multis infirmitates, ut moroſitatem, iracundiam, ſegnitiem, πολυπραγμοσύνω, auiditatem gloriæ, &c. publicæ concordiæ

cordiæ causa, & ambiguē facta non calumniose in deteriorem partem rapit.

VIII. Vicina priori MISERICORDIA est uirtus, quæ dolore afficitur in aliena calamitate præsertim bonorum uel seductorum hominum, & probabili ratione lenit pœnas & opitulatur miseris, Vel propter Iusticiam, ut cum seuitur erga innocentes, Vel propter bonitatem relaxantem aliquid de summo iure, ut Deus miseretur generis humani, Vel quia nobis quoque in communi sorte aliorum misericordia opus est.

Extrema sunt. Crudelitas uel Ἀσοργία non affici sensu alienæ calamitatis ἐπιχαιρεκακία, Indulgentia, non punire cum est puniendum, aut non est ignoscendum.

IX. CANDOR est uirtus uolens bonis bene esse & lætans eorum rebus secundis, & approbans alienas uoluntates probabili ratione, quædam etiam ambigua flectens in meliorem partem.

Extrema sunt, Maleuolentia, Suspicacitas, Liuor, & stulta credulitas.

X. AMICICIA est uirtus pro uera beneuolentia reddens ueram beneuolentiam, & pariens mutuam communicationem officiorum & rerum liberalem, uirtutis causa.

Extrema sunt, Inimicicia, Odium, Simulatio beneuolentiæ.

XI. FIDELITAS est constantia uoluntatis in uera beneuolentia & omnibus officijs amicicíæ debitis.

Extrema sunt, Perfidia, & Assentatio.

XII. STVDIVM Concordiæ seu φιλκσυγία est uirtus, quæ humiliter de se sentiens & frenans ac moderans iracundiam, & tolerās aliorum infirmitates, & condonans etiam ueras iniurias, tuetur concordiam, & cauet ne pugnet de ulla re non ualde necessaria, ne publica tranquillitas Ecclesiæ & Reipub. turbetur.

Extrema ſunt φιλονεκία & Lentitas.

XIII. HVMANITAS eſt copulatio iuſticiæ cum uirtutibus mitioribus & ſuauioribus, cum comitate, manſuetudine, ἐπιείκεια, affabilitate &c.

Extrema ſunt, Moroſitas non oſtendens ullam ſignificationem beneuolentiæ erga alios, & Leuitas.

XIIII. NEMESIS uel ZELVS eſt indignatio aduerſus turpitudinem, ſeu iuſtus dolor propter admiſſum ab alio ſcelus, & cupiditas depellendi ac puniendi illud.

SEXTVM PRAECEPTVM.

Non mœchaberis.

Quæ ſunt Virtutes Sexti præcepti?

I. Caſtitas.

Vere-

II. Verecundia.

III. Temperantia.

I. CASTITAS ſeu Pudicicia eſt uel in cœlibe uita, ſine incendijs libidinum & ſine ulla commixtione, aut alio ſeminis abuſu uiuere: Vel in coniugio ſeruare ordinem mirando Dei conſilio conſtitutum.

Eſt autem CONIVGIVM legitima & indiſſolubilis coniunctio unius maris & unius fæminæ, inſtituta diuinitus, ut agnoſcamus Deum eſſe mentem caſtam & ei in caſtitate ſeruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Eccleſia Deo.

Extrema ſunt, Vituperationes & prohibitiones coniugij et ſexus muliebris, Vagæ libidines & ſcortationes, Adulteria, Diuortia uulgaria, incendia libidinum, omnes effuſiones ſeminis extra coniugium, ſimulata Caſtitas.

II. VERECVNDIA ſeu pudor

est uirtus, quæ ueretur ueram infamiam semper comitantem delicta, & metu iudicij diuini et propriè conscientiæ & aliorum recte iudicantium, coërcet omnes cupiditates & uitat delicta, & gestus animorum ac corporum ita regit, ut conueniant ordini naturæ, personarum & locorum.

Extrema sunt, IMPVDENTIA, quæ est contemnere Dei & omnium hominum iudicia, & sine respectu iudicij conscientiæ propriæ & aliorum sanorum, omnibus cupiditatibus frenos laxare.

Stupor δυσωπία, nimia uerecundia.

Lasciuia, quæ est pronitas ad uarios ludos & uarias uoluptates sine cupiditate nocendi.

Proteruitas est pronitas ad prauas uoluptates & ad contumelias faciendas.

III. TEMPERANTIA est uirtus quæ moderatur appetitiones cibi & potus, ita ut nec precationem nec somnum impediant.

Extrema sunt, Voracitas, Ebrietas & nimia abstinentia.

SEPTIMVM PRAECEPTVM.

Non furtum facies.

Quæ sunt uirtutes seu bona opera septimi Præcepti?

I. Iusta possessio & bonus usus propriarum rerum.
II. Iusticia commutatiua.
III. Beneficentia seu liberalitas.
IIII. Hospitalitas.
V. Frugalitas seu Parsimonia.
VI. Αὐτάρκεια.

I. IVSTA Possessio et bonus usus propriarum facultatum est uirtus, quæ in timore Dei & fide ac bona conscientia tenet proprias faculta-

tes, & agnoſcens eas à Deo dari & cuſtodiri, ſedulo ſtudet eas honeſtis rationibus augere, & ad uſus à Deo ordinatos conferre.

Pugnantia ſunt omnia iniuſta aucupia opum, Superſtitioſa collatio facultatum in commune, Auaritia etc.

II. IVSTICIA Commutatiua eſt uirtus, quæ in contractibus ſeu commutatione rerum ſeruat æqualitatem Arithmeticam.

Pugnant cum hac uirtute omnes fraudes in contractibus, & omnia Furta.

III. BENEFICENTIA ſeu Liberalitas eſt uirtus, quæ communicat facultates et operas non debitas obligatione ciuili, ſed naturali ſeu diuina, ubi & quando decet, & mediocritatem efficit inter profuſionem et ſordes.

IIII. HOSPITALITAS eſt uirtus uicina Beneficentiæ, qua Peregrinos et Hoſpites, ac præcipue propter ueræ doctrinæ profeſſionem exulantes tes, uera beneuolentia & omnibus officijs hoſpitalibus complectimur.

V. PARSIMONIA eſt uirtus quæ res proprias cuſtodit, utiliter collocat, uitat ſumptus non neceſſarios, emacitates, luxum, ædificationes, et tamen ubi ratio poſtulat, expendit quantum opus eſt.

Extrema ſunt, Auaritia, Sordes, et Profuſio.

VI. AYTAPKEIA eſt uirtus, uicina parſimoniæ, quę contenta eſt prę ſentibus bonis, et placide fert paupertatem et alia incommoda, nec adpetit aliena bona, nec frangitur inopia, ut contra pietatem DEO debitam uel alias uirtutes faciat.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

Non loqueris falſum teſtimonium contra Proximum tuum.

Quę ſunt Virtutes ſeu Bona opera Octaui præcepti?

I. Veritas.
II. Simplicitas.
III. Constantia.
IIII. Docilitas.
V. Taciturnitas.
VI. Eloquentia.
VII. Comitas.
VIII. Vrbanitas.

I. VERITAS est uirtus, quæ inclinat uoluntatem, ut ueras sententias, hoc est, cum rebus quales sunt, congruentes, in doctrina de Deo & alijs artibus amemus, & uera, recta, explicata & salutaria constanter dicamus & faciamus, et in moribus fugiamus insidiosas occultationes & simulationes.

Obiecta sunt.

1. Doctrina de Deo, natura rerum moribus &c.
2. Iudicia, uidelicet, Accusationes, Defensiones, Testimonia, Sententiæ Iudicum.

3. Pacta

3. Pacta seu promissiones omnes in fœderibus & contractibus, emptionibus, uenditionibus.
4. Consilia in gubernatione & priuata uita.
5. Sermones de aliorum uirtutibus & turpitudine, seu laudes & uituperationes.
6. Significatio nostræ uoluntatis erga alios, in sermonibus, gestibus &c.

Peccata pugnantia cum Veritate sunt omnia Mendacia, id est, omnes opiniones, sermones, & gestus non congruentes cum rebus ipsis, & nocentes uel ipsi mendaci, uel alijs, & tota sophistica, quæ falsas opiniones & malas causas fucosis prætextibus tuetur.

1. Heręses, & studium discendi, docendi, aut defendendi falsas opiniones, uel inutiles & non necessarias subtilitates in omnibus doctrinis.
2. Calumniæ forenses omnes, in accusationibus testimonijs, sententijs iudicum.

 3. Per=

3. Perfidia in non ſeruandis promiſſis, et fœderibus, ac amicicijs, per iuria, et fraudes in contractibus.
4. Perfidia & Ironiæ in dandis conſilijs.
5. Obtrectatio, Maledicentia, Vanitas, Iactantia.
6. Omnis hypocriſis ſeu ſimulatio in moribus et geſtibus.

II. SIMPLICITAS eſt perſpicua et aperta ueritas ſine inuolucris et ambagibus. Seu eſt uera, recta, et explicata in artibus et in communi uita propriē et perſpicuē dicere et facere.

Extrema ſunt. Duplicitas, Fuci, Ambages in doctrina et moribus. Et ſimulatione ſimplicitatis alteri in ſidiari et nocere.

III. CONSTANTIA eſt perſeuerantia in ueritate.

Extrema ſunt, Leuitas et pertinacia.

IIII. DOCILITAS eſt uirtus, quæ flectit animos, ne arroganter de ſe ſentiant, ſed ut alios audiant diſcant & ueris ſententijs, aſſentiantur.

Extrema ſunt, Pertinacia & Academica ἐποχή ſeu Leuitas ſemper & omnia diſcens & nunquam ad agnitionem ueritatis perueniens.

V. TACITVRNITAS Moderatus uſus Linguæ.

Extrema ſunt, Garrulitas, Futilitas, & Diſſimulatio eorum, qui tacent tunc quoq; cum mandatum dei præcipit confeſſionem.

VI. ELOQVENTIA eſt uirtus, quæ mentem & linguam regit, ut Deo grata & hominibus ſalutaria, perſpicuē & ornatē dicat.

Extrema ſunt, Infantia, Loquacitas, & omnes abuſus Eloquentiæ.

VII. COMITAS ſeu AFFABILITAS eſt uirtus inclinans nos, ut in loquendo, in audiendo, in reſpondendo & officijs præſtandis, in uultu & geſtibus, quadam ſuauitate beneuolentiam noſtram erga alios declaremus.

Ex-

Extrema ſunt, Leuitas & Moroſitas faſtidioſe audiens alios, duriter reſpondens, & difficulter officia præſtans, nec ullam ſuauitatis & beneuolentiæ ſignificationem erga alium oſtendens.

VIII. VRBANITAS eſt ornamentum ueritatis, qua iocoſe uel figurate, uel falſe dictis tempeſtiue & honeſte alij admonentur, aut leniuntur, aut etiam in loco irritantur.

Extrema ſunt, Scurrilitas, quæ iocos obſcœnos & contumelioſos ſpargit, & geſtu uel mordaci dicto petulanter reprehendit, & Stoliditas ac Inſulſitas.

NONVMET DECIMVM PRAECEPTVM.

Non concupiſces &c.

In IX. & X. Præcepto præcipitur Rectitudo omnium uirium hominis congruens ad normam legis, uel conformitas cum lege Dei, ſeu congruentia, ſeu conuenientia, ſeu ſimilitudo totius naturæ humanæ, hoc eſt, mentis uoluntatis, cordis, omnium uirium & membrorum externorum, quæ cum norma mentis diuinæ in Lege expreſſæ, perfectę congruere debebant. In ſumma, Eſt iuſticia originalis ſeu imago Dei, ad quam homo conditus eſt.

Peccatum pugnans cum IX. et X. Præcepto eſt CONCVPISCENTIA, quæ eſt ἀταξία ſeu corruptio omnium uirium hominis, uidelicet, in mente cœcitas, caligo & dubitationes de Deo. In uoluntate & corde auerſio ā Deo, & uacuitas Timoris Dei, dilectionis, inuocationis, fidei, Item prauæ inclinationes, inordinatæ appetitiones & flammæ uitioſorum affectuum.

Qui ſunt uſus Legis Diuinæ?

1. Le-

I. Legis noticia est testimonium, quod uere sit Deus.

II. Docet qualis sit Deus, uidelicet iustus, uerax, beneficus, castus, qualem Lex describit.

III. Docet ad quid condita sit natura humana, uidelicet ut Deum agnoscat & ei iuxta legem obediat.

IIII. Ostendit peccatum & est perpetuum iudicium Dei, accusans & damnans omnes homines, qui non confugiunt ad Christum Mediatorem.

V. Est regula bonorum operum, in quibus renati suam obedientiam erga Deum exercere debent.

VI. Est norma uitæ hominum etiam renatorum, ut mores honesta disciplina regant.

Propter quas causas necesse est præstare externam Disciplinam?

Propter quinq; causas.

I. Mandatum Dei cui necesse est obedire.

II. Vt uitentur pœnæ.

III. Vt societas ciuilis conseruetur & tranquilla sit.

IIII. Vt nostro exemplo alios ad uirtutem inuitemus.

V. Quia est pædagogia in Christum, hoc est, Homines non possunt doceri de Deo, nec Christus est in ijs efficax, quia uiolant disciplinam, seu qui perseuerant in delictis contra conscientiam.

DE PROMISSIONIBVS ET COMMINATIONIBVS ADDITIS DECALOGO.

In singulis Decalogi præceptis prodest has quinq; quæstiones ordine considerari. 1. Quæ uirtutes flagitentur. 2. Quomodo fieri possint. 3. Quæ peccata prohibeantur. 4. Promissiones additæ uirtutibus. 5. Comminationes pœnarum, quæ certissime peccata comitantur.

Etsi

Etſi autem non ſunt additæ ſingulis Præceptis promiſſiones & comminationes in ipſo Decalogo, tamen ſumma comprehenſa eſt in hac concione addita primo Præcepto. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes, uiſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea. Item Leuit: 18. Qui fecerit hæc, uiuet in eis, Rom.10. Galat.3. & Deut.27. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis.

His addantur promiſſiones præmiorum & comminationes pœnarum, de uirtutibus & uitijs ſingulorum præceptorum traditæ, quarum pleræq; in Prouerbijs Salomonis & Eccleſiaſtico collectæ ſunt, & paſſim in Prophetarum concionibus de bonorum operum premijs & peccatorum pœnis repetuntur.

Vt

Vt autem recte intelligantur Promiſſiones & Comminationes, prodeſt has Sex commonefactiones in conſpectu habere, quas nunc breuiſſime recitabo.

PRIMO: Cum Deus ſit uerax, certiſſimum eſt comminationes ipſius non inania terriculamenta eſſe, nec promiſſiones inanem ſonitum eſſe, & ideo propoſitas, ut quoquo modo ſtultos demulceant. Firmiſſime igitur ſtatuamus, etiamſi ſæpe euentus nobis non uidentur reſpondere, tamen omnes diuinas promiſſiones & comminationes, in ea forma & ſententia, qua Deus eas tradidit & interpretatus eſt, ueras, certas ratas, firmas & immotas eſſe.

SECVNDO: Accuratiſſimis limitibus diſcernenda ſunt genera promiſſionum. Promiſſio Euangelij propria, remiſſionem peccatorum, imputationem iuſticiæ, Spiritum ſanctum & uitam æternam omnib. credentibus GRATIS propter Chriſ-

F ſtum

ſtum promittit, non propter ullum noſtrum meritum uel obedientiam.

Promiſſiones uero legales nequaquam Gratis offerunt remiſſionem peccatorum & uitam æternam & alia præmia ſpiritualia ac corporalia, ſed annexam habent conditionem perſectæ obedientiæ, tanquam cauſam & meritum, propter quod bona promiſſa ſint exhibenda, ut dicitur, Qui fecerit hęc uiuet. Item, Sum miſericors his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea.

TERTIO: Cum autem nemo præſtet perfectam obedientiam, quã Lex flagitat, quęrunt anxiæ mentes, quomodo ampliſſimę promiſſiones præmiorum ſingulis uirtutibus additæ, nobis ratæ fiant, & quomodo pœnæ uitari poſſint? Ad hanc quæſtionem reſpondet Paulus 2. Cor. 1. Omnes promiſſiones Dei in Chriſto ſunt Amen, id eſt, ratæ ac firmæ, hoc eſt, uere & certò dantur propter Chriſtum. Item Rom. 3. Legem ſtabilimus per fidem. Nam fide confugientibus ad Chriſtum datur Spiritus ſanctus, qui inchoat obedientiam congruentem cum Lege Dei, quæ præmijs ſpiritualibus & corporalibus in hac uita & æterna ornatur, ut 1. Timoth. 4. dicitur: Pietas habet promiſſiones præſentis & futuræ uitæ. Item Matth. 5. Merces ueſtra eſt copioſa in cœlis.

Dantur autem præmia, in promiſſionibus oblata, eo ordine & modo, quem Chriſtus in Euangelio præſcribit. Marc. 10. Recipient centuplum in hac uita, ſed cum tribulatione, & poſt hanc uitam, uitam æternam, hoc eſt, præcipua præmia & præcipuæ pœnæ differuntur in uitam æternam.

QVARTO: Diſcernendæ ſunt promiſſiones in Euangelio traditæ.

Prima, ſumma, & maxime neceſſaria eſt PROMISSIO GRATIAE & reconciliationis ac uitæ æternæ, ſeu bonorum ſpiritualium

& æternorum, quæ Deus propter Christum certo & nominatim & sine ulla cõditione & exceptione promisit se daturum esse. Hęc præcipua Euangelij promissio semper rata & firma est credenti etiam omnibus bonis corporalibus amissis. Ideoq; firmissima fide retinenda est, ut Iob 13. dicitur. Etiamsi occiderit me, sperabo in eum. Item, Ideo ex fide gratis, ut firma sit promissio.

Aliæ sunt Promissiones Rerum Corporalium necessariarum ad huius uitæ mortalis conseruationem, ut uitæ, bonæ ualetudinis, cibi, potus, defensionis, liberationis ex periculis, bello, peste, fœcunditatis agrorum & similium, quæ panis quotidiani appellatione continentur. Has quoque tradidit Deus propter sex causas.

1. Vt agnoscamus Deũ authorem & conseruatorem esse etiam huius uitę corporalis, nec casu spargi bona corporalia, nec nostra tantum diligentia adquiri. Sed uerẽ à Deo dari.

2. Vt Ecclesia in hac uita conseruetur.

3. Vt fides, & inuocatio, in petitione, & expectatione corporalium bonorum exerceantur.

4. Vt commonefaciant nos de Christo & promissione bonorum spiritualium.

5. Vt Gratitudinem nostram quotidie in usu bonorum corporalium declaremus.

6. Vt Bona corporalia sint adminicula nostræ uocationis, & instrumenta beneficentiæ & aliarum uirtutum.

QVINTO: Promissionibus bonorum corporalium etsi uniuersaliter credendũ est: tamen semper hę quatuor exceptiones addendæ sunt.

I. Pœnæ impiorum.

II. Castigationis piorum seu crucis, qua Deus certo consilio Ecclesiam in hac uita premit, ac causæ XII. postea recitabuntur.

III. Non pręscribendus est Deo Modus & Tempus, quo promissa bona

exhibere debeat. Vult. n. Deus nos Fide in Christum ab ipso pendere, & liberationem ex periculis & alia bona expectare, non uult nos nostris opinionibus regi, ut Esai. 30. In silentio & spe. Item, Expecta Dominum. Item, Cum ignoramus quid agendum sit, oculi nostri ad te tolluntur. Ex his dictis maximè salutaris Regula Vitæ extruitur, uidelicet, Quod necessaria uocationis officia diuinitus mandata fideliter facienda sint, & tranquillo animo expectandi euentus salutares, etiamsi ā ratione humana prospici non possunt.

IIII. Non sunt rapiendę promissiones corporales nostris consilijs sine uocatione diuina, Vt filij Ephraim (1. Par: 7.) inuadentes terram promissam sine uocatione interficiuntur.

SEXTO: Comminationes & Pœnæ, quæ immutabili ordine peccata comitantur, sancitæ sunt à Deo propter sex causas.

I. Iusticia Dei, cuius norma ęterna & immota est punire et destruere ac delere sceleratos. Vt

II. Vt in pœnis conspiciamus discrimen Virtutum & Vitiosorum, & agnoscamus Deum bonum, iustum & Virtutis amantem esse.

III. Vt hæ breues pœnæ corporales sint commonefactiones de ęternis pœnis.

IIII. Vt pœnæ nos impellant ad pœnitentiam, ad uitanda peccata & emendationem uitæ.

V. Vt tranquillitas publica conseruetur.

VI. Vt exemplis horribilium pœnarum deterriti alij uitent delicta, quibus pœnæ attrahuntur.

Omnibus autem comminationibus pœnarum addit Deus conditionem pœnitentiæ, qua semper uel liberatio uel mitigatio calamitatum impetratur, ut Ierem: 18. dicitur. Si pœnitentiam egerit gens illa ā malitia sua, contra quam loquor: agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, ut facerem ei. Sed de tota hac materia in Locis de peccato, de

pœnitentia, de calamitatibus & alibi copiosior explicatio proponi solet.

QVARTVS LOCVS.

DE PECCATO.

Quid est Peccatum?

PECCATVM est quicquid non congruit cum norma legis diuinæ. 1. Iohan. 1. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Vel

PECCATVM est defectus, uel inclinatio, uel actio pugnans cum lege Dei, promerens iram Dei & æternas pœnas, nisi fuerit facta remissio propter Filium Mediatorem.

Quæ est causa efficiens peccati?

Toto pectore amplectenda est sententia, Deum non esse causam peccati, nec approbare peccatum, nec impellere ad peccandum, Sed primi peccati causa fuit libera uoluntas Diaboli & primorum Parentum, qui libere & sua sponte auerterunt se à Deo, & sapientiam, iusticiam & libertatem uoluntatis in creatione ipsis insitam, sibi & toti posteritati amiserunt.

Externorum autem peccatorum tres sunt causæ:

I. Errores, seu cœcitas & caligo mentis humanæ, quæ lapsum primorum parentum sequuta est.

II. Prauæ cupiditates.

III. Incitatio Diaboli.

Materia in qua, est Mens & Voluntas, Cor, & potentiæ obtemperantes, & omnia membra externa.

Forma est reatus, hoc est, obligatio personæ ad iram Dei & æternam damnationem.

Fines sunt.

1. Ira Dei.
2. Aeterna damnatio.
3. Mors corporis.
4. Omnes calamitates generis humani.

5. Tyrannis Diaboli.
6. Concupiscentia, quæ simul est peccatum & pœna peccati.

Quę sunt species peccati?

PECCATVM ORIGINIS est in omnibus hominibus natis ex uiriili semine, amissio lucis in mente, & auersio uoluntatis à Deo, & contumacia cordis, contra Legem Dei, nobiscum nascens, & sequuta lapsum Adæ. Propter quam corruptionem naturæ, homines rei sunt iræ Dei & æternarum pœnarum, nisi fuerit facta remissio propter Filium Dei Mediatorem.

PECCATVM ACTVALE est actio interior uel exterior pugnans cum Lege Dei.

Dic alteram diuisionem Peccati.

VENIALE Peccatum est defectus, uel inclinatio, uel affectus, pugnans cum lege Dei, in renato, cui re-

retinenti fidem, & repugnanti prauis affectibus spiritu, reatus remittitur.

MORTALE Peccatum est in non renato quodcunq; peccatum, Sed in lapso, qui antea fuit renatus, est delictum contra conscientiam, propter quod homo amittit gratiam & Spiritum sanctum, & fit reus iræ Dei & æternæ pœnæ, nisi rursus ad Deum conuertatur.

PECCATVM CONTRA CONSCIENTIAM est quod fit ā sciente & uolente.

PECCATVM IN SPIRITVM SANCTVM est uel ueritatem agnitam petulanter & perseueranter oppugnare: uel opera quæ certo apparet Spiritu Dei facta esse, odio Pharisaico tribuere Beelzebub, & dicere Diaboli opera esse: uel desperare, hoc est, adimere Deo laudem misericordiæ seu gratiæ exuberantis supra peccatum.

Sed nos, quantacunq; sint nostra peccata, sciamus mandatum Dei esse,

1 Timo: 2.
Luc: 18. 19.

se, ut credamus Omnia peccata nobis remitti, & promissionem Gratiæ uniuersalem ac gratuitam esse, ut dicitur Matth. 11. Venite ad me omnes.

Rom. 5. Gratia exuberat supra peccatum.

Iohan. 3. Omnis, qui credit in Filium, habet uitam æternam.

QVINTVS LOCVS.

DE REMISSIONE PECCATORVM SEV IVSTICIA IN EVANGELIO PROMISSA.

Quomodo consequitur Homo Remissionem peccatorum & Iusticiam coram Deo?

Sola fide in filium Dei Iesum Christum, hoc est,

GRA-

Sola fide.
Omnis.
Tantum.

GRATIS, non propter propria opera aut merita, sed tantum propter unicũ Mediatorem Iesum Christum, qui pro nobis uictima & propiciator factus est, consequitur Homo remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & fit Iustus, hoc est, Deo placens & acceptus, propter Christum iusticia imputata, & fit hæres uitæ æternæ, cum certo credit hæc bona sibi à Deo propter Filium donari.

Imputatio iusti.

Quod est discrimen inter Iusticiam Legis & Euangelij?

Lex cum relinquo uitam promittit: Euangelium etc.

Lex promittit remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam, Sed simul flagitat perfectam obedientiam tanquam causam.

Ideo Iusticia Legis est, uel perfecta omnium uirium obedientia erga totam legem Dei, expers omnis peccati, qualis in nullo hominum, solo Christo excepto, extitit. Vel est qualiscunq; obedientia externorum

Perfecta obedientia.

mem

membrorum, præstans externa opera, quę lex Dei flagitat, & nunquam satisfacit legi Dei.

Euangelium uero GRATIS promittit remissionem peccatorum, iusticiam & uitam æternam, non propter nostram obedientiam erga Legem, Sed propter solum Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, quem sola fide amplectimur.

Quid igitur est Iusticia Euangelij, seu Iusticia Christiana, seu Iustificatio hominis coram Deo?

IVSTICIA CHRISTIANA est remissio peccatorum et imputatio iusticiæ Christi & acceptatio ad uitam æternam gratuita, non propter ullas uirtutes aut opera, Sed propter solum Christum Mediatorem sola fide apprehensum, cum qua coniuncta est donatio seu inhabitatio Spiritus sancti, & renouatio naturę, ac inchoatio nouarum uirtutum, quæ in per-

persona iusta, hoc est, fide reconciliata Deo placent propter Christum.

Quid est Fides Iustificans?

FIDES est noticia personæ ac beneficiorũ Christi ac totius doctrinę, à Deo traditæ: & assensus, quo amplectimur totam doctrinam, & in hac promissionem gratuitę reconciliationis seu imputationis Iusticiæ propter Christum donandæ: & fiducia in Christo Mediatore iuxta promissionem acquiescens, & certo statuens sibi peccata remitti, se Deo placere, se recipi & exaudiri, propter solum Christum GRATIS, non propter propriam dignitatem.

Quomodo intelligenda est hæc Propositio, Sola Fide sumus iusti?

Correlatiue intelligenda est, uidelicet, Quod propter solum Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum accipiamus remissionem peccatorum, iusticiam, & uitam æternam

nam GRATIS, non propter nostra merita.

Ideo autem hac forma uerborum (Fide iustificamur) utitur scriptura, ut utrumq; doceat.

I. Quæ sit causa seu meritum Iustificationis, seu quæ sint beneficia Christi, uidelicet, quod per & propter solum Christum donetur nobis remissio peccatorum, iusticia & uita æterna.

II. Deinde quomodo nobis applicari & ad nos transferri debeant, uidelicet Sola Fide amplectente promissionem & in CHRISTO acquiescente.

Quid excludunt hæ particulæ, Sola Fide, Gratis, Sine Lege, Sine operibus Legis?

Non excludunt meritum Christi, nec nostram pœnitentiam, nec reliqua opera aut uirtutes, ne adsint: Sed adimunt cæteris uirtutibus seu operibus meritum seu causam remissionis peccatorum, seu iustificationis, & transferunt causam in solum Christum Mediatorem fide apprehensum.

Propter quas causas necesse est retineri particulas exclusiuas, Sola Fide, Gratis, sine operibus Legis?

Propter quinq; causas:

I. Quia non est aliud medium, quo promissionem gratiæ & Christum agnoscere & apprehendere possumus nisi sola fides.

II. Vt Christo debitus & proprius honos tribuatur, uidelicet, Quod ipsius obedientia sola sit meritum remissionis peccatorum, iusticiæ & uitæ æternæ nobis donandæ, & quod nostra opera non sint meritum, propter quod recipiamur.

III. Vt conscientię habeant certam & firmam consolationē, nititur promissio gratiæ solo Filio Dei & non nostris meritis, ideo dicitur, Sola Fide,

de,ut cor certo ſtatuat,Deum nobis propitium eſſe propter Chriſtum. Hanc cauſam Paulus Rom. 4. recitat, Ideo ex fide GRATIS, ut ſit firma promiſſio.

IIII. Vt illuſtrius ſit diſcrimen Legis & Euangelij.

V. Vt uera Inuocatio præſtari poſſit, quam neceſſe eſt niti Solo Mediatore Filio Dei, non noſtris uirtutibus.

Iuſtificat ne ſola Fides tantum ratione principij, ut loquuntur, Deinde uero poſt primam conuerſionem ſeu iuſtificationem, ſtatuendum eſt nos partim fide, partim propter noſtra opera, ſeu propter Fidem, Spem & Charitatem iuſtos eſſe & Deo placere?

In principio, medio, & fine, ſemper ſtatuendum eſt, Nos propter ſolum Chriſtum Mediatorem fide iuſtos eſſe & Deo placere & hæredes eſſe uitæ æternæ, non propter ulla noſtra opera aut uirtutes, ut prolixè diſputat Paulus Galat. 3.

Item

Item, Rom. 5. dicitur, Iuſtificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Abac. 2. Iuſtus fide ſua uiuit. 8 Rom. 2.

Nec poteſt fides niti duabus rebus, Chriſto & noſtris operibus. Alioqui prorſus incerta fieret, nec ullam firmam conſolationem adferret. Rom. 4. Quia ſemper manent etiam in ſanctis peccata in hac uita, pro quibus orant, Remitte nobis debita noſtra. Ideo Chriſtus eſt Sacerdos in æternum pro nobis intercedens, & ſuam iuſticiam nobis applicans, nec eſt in aliquo alio ſalus.

Quod eſt diſcrimen inter doctrinam ueram noſtrarum Eccleſiarum in Articulo Iuſtificationis, et falſam Papiſtarum doctrinam?

Tria ſunt præcipua diſcrimina.

I. Papiſtæ docent hominem mere-

ri remissionem peccatorum & esse iustum, non propter solum Christum sola fide, sed etiam bonis operibus, seu proprijs uirtutibus congruentibus cum lege Dei, Item operibus Monasticis, Missis, Ieiunijs &c.

II. Cum nemo sciat an satis habeat bonorum operum, docent semper dubitandum esse, an habeamus remissionem peccatorum, & an simus in gratia.

III. Docent hominem in hac uita posse legi Dei satisfacere, & hac Legis impletione iustum esse & uitam æternam mereri.

Econtra nostræ Ecclesiæ ueram Euangelij doctrinam amplectentes docent:

I. Remissionem peccatorum donari GRATIS propter solum Christum Mediatorem, non propter nostra opera aut merita.

II. Non esse manendum in dubitatione, sed omnes, qui in delictis contra conscientiam seu sine fide in Christum uiuunt, debere certo statuere se Deo displicere, & reos iræ Dei & æternarum pœnarum, nisi ad Deum conuertantur. Econtra omnes, qui sentiunt pauores iræ Dei, & cupiunt conuerti ad DEVM, & se emendare, debere certo statuere sibi remitti peccata, se in gratia esse, & Deo placere propter Christum Mediatorem, ut expresse dicitur in Symbolo, Credo remissionem peccatorum.

III. Hominem non posse in hac uita Legi Dei satisfacere, ut Rom: 7. & 8. clare dicitur. Sed iusticiam & uitam æternam donari credentibus GRATIS propter Christum.

SEXTVS LOCVS.

DE BONIS OPERIBVS.

Quid sunt Bona opera?

BONA OPERA sunt opera ā Deo man-

mandata,quæ fiunt prælucente agnitione Christi & fide,hoc fine,ut Deo obedientia & honos præstetur.

Quæ Species?

Species commodissime iuxta seriem preceptorum decalogi possunt distribui.

Vera agnitio Dei iuxta Euangelion. Verus Timor Dei. Vera fiducia misericordiæ promissæ propter Christum. Dilectio Dei,Spes, Patientia,Humilitas,Inuocatio Dei facta in spiritu & ueritate.

Iusticia uniuersalis. Pietas erga Parentes, Obedientia, Iusticia particularis, Beneficentia, Misericordia, Castitas,Veritas &c.ut supra in Loco de Lege, Catalogum Virtutum, adiunctis definitionibus, recensuimus.

Quæ sunt causæ Efficientes, seu Quomodo fieri possunt bona opera?

Tres causæ concurrunt.

I. Verbum Dei & uera agnitio Christi.

II. Spiritus sanctus, accendens in mente agnitionem Christi & fidem & cogitationem præceptorum diuinorum. Deinde impellens uoluntatem, ut obtemperet præceptis diuinis,& iuxta ea regat actiones externorum membrorum.

III. Mens & uoluntas humana Spiritui sancto obediens & regens externa membra.

Que est causa Formalis,seu Quomodo placent Deo bona opera?

Opera fiunt bona & Deo placentia per Fidem in Christum. Id his quatuor articulis declarandum est.

I. Persona, quæ facit bona opera,statuat se iustam esse & Deo placere GRATIS propter Christum fide.

II. Agnoscat & deploret multiplicia peccata,adhuc herentia in nobis, ut caliginem de Deo, dubitationes,

prauas inclinationes, ſecuritatem, ſuperbiam, admirationem ſui &c. quæ impediunt, quo minus legi Dei poſſimus ſatisfacere.

III. Et tamen ſtatuat Dei uoluntatem æternam & immotam eſſe, ut ei in bonis operibus ſeruiamus & nouam obedientiam cum ipſius Lege congruentem inchoemus.

IIII. Sciat hanc inchoatam obedientiam placere Deo, non propter propriam dignitatem ſed propter Chriſtum Mediatorem, ut 1. Pet. 2. dicitur. Offerte Deo hoſtias ſpirituales, acceptas Deo per Chriſtum.

Quę ſunt cauſæ Finales? ſeu Cur facienda ſunt Bona opera?

Nequaquam eo fine facienda ſunt bona opera, ut mereamur remiſſionem peccatorum, iuſticiam et uitam æternam. Nam hæc bona propter ſolius Filij Dei meritum credentibus GRATIS donantur.

Sed

Sed alij ſunt ueri Fines.

I. Gloria Dei, 1. Cor. 10. Omnia ad gloriam Dei facite. Matth. 5. Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera, & glorificetur Pater ueſter cœleſtis.

II. Vt debita obedientia & honos Deo præſtetur. Nam ordo iuſticiæ diuinæ immutabilis eſt, ut creatura Deo obtemperet.

III. Vt retineamus Fidem, Gratiam, Spiritum ſanctum, & hæreditatem regni cœlorum. Nam hęc bona amittuntur per mala opera ſeu peccata contra conſcientiam.

IIII. Vt pœnæ præſentes & æternæ uitentur. Nam mala opera Deus regulariter etiam in hac uita punit.

V. Vt mereamur pręmia ſpiritualia & corporalia, præſentia & æterna. 1. Timoth. 4. Pietas promiſſiones habet præſentis & æternæ uitæ.

SEPTIMVS LOCVS.

DE SACRAMENTIS.

Quid eſt Sacramentum?

SACRAMENTVM eſt actio ſacra, ā Deo inſtituta, conſtans uerbo & adminiſtratione elementi integri, & addita promiſſioni, quæ eſt Euangelij propria, ut fidem in uiuentibus obſignet & confirmet.

Quot ſunt Sacramenta Noui Teſtamenti? Duo.

Baptiſmus & Cœna Domini.

Quid eſt Baptiſmus?

BAPTISMVS eſt actio ſeu ceremonia ā Deo inſtituta, continens merſionem ſeu ablutionem, & integram pronunciationem uerborum, Ego baptizo te in Nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, quæ teſtatur baptizatum ā Deo recipi, & donari Spiritu ſancto, & acceptari ad hæreditatem uitæ æternæ.

Quæ eſt ſententia Verborum, Ego baptizo te in Nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti?

Ego (inquit Miniſter) mergo ſiue abluo te aqua, Et inuoco ſuper te uerum Deum, qui eſt æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Filius ipſi coæternus, & Spiritus ſanctus. Et teſtificor, te ab hoc uero Deo recipi, & tibi peccata remitti, propter Chriſtum, qui abluit te hoc baptiſmo, ut ſignificet tua peccata ipſius ſanguine abluta eſſe, & ſanctificat te Spiritu ſuo ad iuſticiam & uitam æternam. Quare tu uiciſſim hunc unum uerum Deum agnoſces, inuocabis & celebrabis.

Sunt

Suntne Infantes baptizandi?

Sunt baptizandi. Quia ad ipsos pertinet promissio salutis, ut dicitur, Talium est regnum cœlorum. Non est autem salus extra Ecclesiam, ut dicitur Ioh. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non introibit in Regnum Dei. Ergo necesse est Infantes per baptismum regenerari & inseri Ecclesiæ. Est autem Christus efficax in Infantibus per baptismũ, & operatur in eis fidem & alios motus, pro ipsorum modo.

DE COENA DOMINI.

Quid est Cœna Domini?

COENA DOMINI est actio, à Filio Dei instituta, & ornata, in qua sumpto Pane & Vino, sumitur uerũ corpus & uerus sanguis Domini nostri Iesu Christi, ut hoc pignore accipientes commonefacti de promissione Euangelij propria, fidem confirment & obsignent.

Ad quid instituta est Cœna Domini?

Primus & principalis finis est, Confirmatio fidei in cõuersis. Nam Sacramenta seu signa uisibilia ideo addita sunt promissioni remissionis peccatorum, iusticię & uitæ æternæ, ut nos commonefaciant de promissione, & sint testimonia seu sigilla promissionis, ut singuli promissionem sibi applicent per fidem in uero usu Sacramenti.

II. Gratiarum actio pro omnibus beneficijs Christi.

III. Est Symbolum seu nota confessionis & doctrinæ.

IIII. Est neruus publici ministerij.

V. Commonefacit de mutua dilectione.

Qui sunt precipui abusus Cœnę Domini apud Papistas?

Pri-

Primum Papistæ mutilant Sacramentum, & alteram speciem Laicis adimunt, contra expressa uerba institutionis Christi.

Secundo: Fingunt se ipso opere mereri remissionem peccatorum, seu ut ipsorum uerbis loquamur, Sacramenta nouæ legis conferre gratiam non ponentibus obicem.

Tertio: Mutant Sacramenta in alios usus diuersos ab institutione, ut ad circumgestationem & adorationem, cum tamen nulla res extra usum ā Deo ordinatum, sit Sacramentum.

Quarto: Transformant Cœnam Domini in sacrificium, quo fingunt se mereri remissionem peccatorum sibi & alijs ex opere operato. Contra firmissime statuendum est, Christum uno sacrificio in ara crucis facto, meruisse toti Ecclesiæ remissionem peccatorum, quæ sola fide accipiatur.

Quin-

Quinto: Transferunt Cœnam Domini ad mortuos ex purgatorio liberandos.

Sexto: Aliqui nunc disputant Missam esse applicationem sacrificij Christi, quam tamen sciendum est, fieri propria fide, non propter opus alienum.

Ex his erroribus discrimen inter Missam Papisticam & nostrarum Ecclesiarum facile intelligi potest.

Quid est Sacrificium?

SACRIFICIVM in genere est Ceremonia uel opus nostrum, quo Deo tribuimus honorem proprium diuinitatis, seu quo testamur hunc uere esse Deum, quem sic colimus.

Quæ sunt species Sacrificiorum?

Alia sunt Typica seu imagines: Alia sunt non Vmbræ sed res, & hæc sunt duplicia. Vnum Propiciatorium: Alia sunt EYXAPISTIKA.

Quid

Quid eſt Propiciatorium ſacrificium?

PROPICIATORIVM SACRIFICIVM eſt opus, quod placat iram Dei aduerſus peccatum, & reddit Deum propicium, & meretur alijs remiſſionem peccatorum, iuſticiam & uitam æternam. Tale eſt unicum Sacrificium ſummi Sacerdotis Chriſti, uidelicet uniuerſa obedientia Chriſti, in tota uita, in omnib. actionibus, doloribus & morte.

Quid eſt Sacerdos?

SACERDOS in genere eſt Perſona à Deo ordinata, ut doceat Euangelion, & oret pro alijs, habens promiſſionem, quod exaudiatur, & offerat ſacrificia, quę Deus inſtituit.

Quid eſt Summus Sacerdos?

SVMMVS SACERDOS ſeu CHRISTVS eſt perſona immediate à Deo uocata & uncta plenitudine Spiritus ſancti, ut Euangelion proferat ex arcano ſinu æterni Patris, & deprecetur pro nobis, habens promiſſionem quod certo exaudiatur, & offerat Sacrificium, uidelicet ſeipſum, quo Sacrificio meretur toti Eccleſiæ remiſſionem peccatorum, iuſticiam & uitam æternam.

Quid eſt EYXAPISTIKON Sacrificium?

EYCHARISTICVM SACRIFICIVM eſt opus à Deo mandatũ, quod fit in nobis prælucente fide in Chriſtum, et refertur ad hunc finem, ut Deus honore afficiatur, hoc eſt, ut teſtemur hũc uerẽ eſſe Deum, quem ſic colimus, nec eſt precium pro peccato, nec meretur facienti uel alijs remiſſionem peccatorum, ſed eſt teſtificatio, quod ſit Deus & teſtimonium obedientiæ, ſeu gratiarum actionis. Talia ſacrificia ſunt omnia bona opera & afflictiones piorum, 1. Pet. 2. Pſalm. 49. Pſalm. 50.

Psalm: 106. Psalm: 115. Rom: 12. Rom: 15.

OCTAVVS LOCVS.

DE POENITENTIA.

Quid est Pœnitentia?

POENITENTIA seu CONVERSIO ad Deum, est expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, & dolere quod Deum offenderimus, nec tamen succumbere dolori, Sed fide in Christum accipere remissionem peccatorum, gratiam & Spiritum sanctum, Et in hac consolatione nouam obedientiam cum Lege Dei congruentem inchoare, & hæredem esse uitæ æternæ.

Quæ partes sunt Pœnitentiæ seu Conuersionis ad Deum?

Tres

Tres sunt.

I. CONTRITIO, quæ est expauescere conspectu iræ Dei aduersus peccata per legem monstrata.

II. FIDES agnoscens placatam esse iram Dei aduersus nostra peccata propter Christum, & certo statuens sibi remitti peccata & se placere Deo propter Christum.

III. NOVA OBEDIENTIA, quę est prelucente fide in Christum, obedire DEO iuxta omnia ipsius mandata, hoc fine, ut Deus honore afficiatur & celebretur.

Quæ sunt causæ Contritionis?

Quatuor sunt causæ efficientes.

I. Spiritus sanctus mouens mentem, ut agnoscat peccatum & iram Dei ac pœnas, & incutiens uoluntati & cordi dolores propter admissa peccata. Iohan. 16. Spiritus sanctus arguet mundum de peccato.

Ierem. 13. Postquam conuertisti me Domine, egi pœnitentiam, confusus sum & erubui.

Threni: 5. Conuerte me Domine, & conuertar.

II. Lex Dei denuncians iram Dei aduersus peccata & ostendens magnitudinem ac atrocitatem peccati. Rom. 3. Per legem agnitio peccati.

III. Omnes hominum calamitates, mors, morbi, bella &c. quæ sunt conciones pœnitentiæ.

IIII. Mens & uoluntas humana, ad sentiens Spiritui sancto, agnoscens peccatum, et dolens, nec ea repetens.

Quæ sunt causæ Fidei?

Tres sunt.

I. Spiritus sanctus accendens in mente cogitationem Euangelij de gratuita remissione peccatorum propter Christum, & mouens uoluntatem, ut assentiatur.

II. Verbum Dei seu Euangelium.

III. Mens & Voluntas humana assentiens Spiritui sancto, luctans cum dubitatione, & credens Euangelio.

Quæ sunt causæ Nouæ obedientiæ?

Itidem tres quæ supra in loco de Bonis operibus recitatæ sunt.

Quas numerant Papistæ partes Pœnitentiæ?

Tres.

1. Contritionem cordis.
2. Confessionem oris.
3. Satisfactionem operis.

Quid sentiendum est de his tribus Partibus, & qui sunt præcipui errores Papistarum in doctrina de Pœnitentia?

Primum: De Contritione sentiendum est, necessariam esse aliquam contritionem, seu aliquos dolores

ueros & ſerios propter peccata. De hac parte duos tetros errores defendunt Papiſtæ.

1. Quod oporteat Contritionem ſufficientem eſſe, cum certum ſit nullos dolores ullius creaturę quãtumuis magnos, pares eſſe iræ Dei, nec poſſe compenſare peccata.
2. Quod Contritio mereatur remiſſionem peccatorum. Hic deteſtandus error in opus noſtrũ transfert honorem ſoli filio Dei debitum & cum tota doctrina de Iuſtificatione pugnat.
3. Prorſus nihil dicunt de Fide in doctrina pœnitentiæ, & pertinaciſſime negant opus eſſe hac fide, qua TIBI IPSI certo credis remitti peccata propter Chriſtum.

Et quia nemo ſcit, an contritio fuerit ſufficiens, docent ſemper dubitandum eſſe, an remiſſa ſint nobis peccata, Quod cum tota doctrina Euangelij pugnat.

Se-

Secundo: De confeſſione ſentiendum eſt, Retinendam eſſe in Eccleſia generalem Confeſſionem & morem petendæ abſolutionis priuatæ, ut in genere fateamur nos reos eſſe & dolere quod Deum offenderimus, & ut priuatim applicetur nobis petentibus promiſſio remiſſionis peccatorum uoce abſolutionis. In hac parte errant Papiſtæ fingentes enumerationem omnium delictorum neceſſariam eſſe, cum tamen nuſquam in Euangelio præcepta ſit, & prorſus impoſſibilis ſit, iuxta illud, Delicta quis intelligit.

Tertio: De Satisfactione Canonica, quæ iuxta Papiſtarum ſomnia, eſt facere opera non debita, hoc eſt, non mandata Lege Dei ſed ſupereregationis, impoſita, ut mereantur remiſſionem pœnarum purgatorij, uel aliarum huius uitæ: ſciendum eſt totam doctrinam Papiſticam de Satisfactione, chaos eſſe mendaciorum et Idolorum. Nam remiſſio culpæ &

pœnæ æternæ non propter ullam nostram satisfactionem, sed propter solum Christi meritum credentibus donatur, & pœnæ huius uitæ temporales, nec imponi nec tolli potestate clauium possunt, & cum satisfactiones Papisticæ sunt (ut ipsi fatentur) opera non mandata Lege Dei, satis est opponere hanc unam regulam, Frustra colunt me mandatis hominum.

NONVS LOCVS.

DE ECCLESIA.

Quid est Ecclesia?

ECCLESIA DEI in hac uita, est uisibilis cœtus omnium hominum, qui puram Euangelij doctrinam amplectuntur & recte utuntur Sacramentis, in quo cœtu Deus per Mi-

Ministerium Euangelij efficax est, & multos ad uitam æternam regenerat & sanctificat, simul autem sunt in eo cœtu alij multi non renati, sed tamen de doctrina consentientes.

Quæ sunt Notæ monstrantes ueram Ecclesiam Dei?

I. Pura doctrina Euangelij de Christo.
II. Legitimus usus Sacramentorum.
III. Obedientia debita ministerio, in his, quæ ad ministerium proprie pertinent.

Propter quas causas Ecclesia Dei subiecta est Cruci?

Omnium calamitatum totius generis humani, Ecclesię et imperiorũ, causæ efficientes & impulsiuæ communes, Quatuor sunt.

I. Peccatum commune totius generis humani, quod uult Deus aboleri, Ideo destruit naturam peccatricem morte & alijs calamitatibus.
II. Errores mentis humanæ.
III. Prauæ cupiditates.
IIII. Tyrannis Diaboli præcipitantis homines in miserias & calamitates.

Fines autem pręcipui duo sunt.

I. Vt agnoscant homines Deum esse sapientem & iustum, & ueram ac horrendam esse iram Dei aduersus peccatum & iniusticiam.
II. Vt calamitatibus flectantur homines ad Timorem Dei, Modestiam & frenandas cupiditates, quibus ærumnæ accersuntur.

Sed causæ calamitatum Ecclesiæ peculiares Quatuordecim recensentur, quarum quatuor sunt Impulsiuæ.

La-

I. Lapsus primorum parentum & peccatum inde in omnes deriuatum.
II. Immundicies naturæ interior, uidelicet dubitationes de Deo, securitas carnalis, admiratio sui, ἀταξία omnium affectuum etc. quam mundus negligit, hanc uult Deus ab Ecclesia agnosci & emendari.
III. Odium Diaboli rabiosius insidiantis Ecclesiæ, quam cæteris hominibus.
IIII. Certa delicta sanctorum in Ecclesia, quæ certis pœnis puniuntur.

Causæ FINALES decem.

I. Calamitates non ideo nobis imponit Deus, ut perdat nos, sed ut nobis benefaciat, Ezech. 33. Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed hoc uolo, ut conuertatur & uiuat. Psal. 118. Bonum est mihi Domine, quod adflixisti me.
II. Vt explorentur, exerceantur & con-

confirmentur uirtutes Sanctorum, Timor Dei, Fides, Inuocatio, Patientia, Confessio &c. Hæ summæ uirtutes crescunt, cum ærumnis exercentur Sancti, in rebus secundis fiunt languidiores & paulatim prorsus extinguuntur.

III. Vt Ecclesia agnoscat iram Dei aduersus peccatum commune totius generis humani & aduersus interiorem immundiciem, quam mundus negligit.

IIII. Vt afflictiones sint testimonia immortalitatis piorum.

V. Vt sint testimonia certitudinis doctrinæ, & sint occasiones diligentius discendę doctrinæ.

VI. Vt pij efficiantur similes imaginis filij Dei. Rom. 8.

VII. Vt emendent peccata interiora, dubitationes, superbiam, securitatem &c. & ut caueant futuros lapsus.

VIII. Vt appareat Ecclesiam obedire, non propter aliqua corporum commoda, sed propter solam gloriam Dei.

IX. Vt præsentia & auxilium Christi in mirandis liberationibus illustrius conspiciatur.

X. Vt consequantur amplissima præmia calamitosis promissa.

Matth. 5. Talium est regnum Cœlorum.

2. Corinth. 4. Momentanea leuitas adflictionum æternum pondus gloriæ parit.

Quæ sunt præcipuæ & efficaces Consolationes opponendę Cruci & calamitatibus?

Ethnicæ seu Philosophicæ consolationes sunt septem.

I. Necessitas ferendi mala, quæ dolendo tolli non possunt.

II. Virtus anteferenda dolori.

III. Bona conscientia.

4. Exem-

IIII. Exempla.
V. Collatio euentuum.
VI. Causæ finales seu utilitates.
VII. Incerta spes liberationis.

Christianæ autem Consolationis DVODECIM fontes sunt, ex quibus sex priores, & si titulo cum Philosophicis congruunt, tamen res maiores continent, et adduntur sex aliæ ueræ efficaces, & Philosophis ignotæ, sed in solo Euangelio patefactæ & Ecclesiæ propriæ.

I. Necessitas obediendi Deo, sub cuius manu potenti nos humiliari oportet, & nequaquam eius sapientiæ & iusticiæ repugnare.

II. Dignitas Virtutis, & pietatis erga Deum, ac Confessionis anteferendæ omnibus rebus secundis aut aduersis.

III. Bona conscientia & uulneratæ conscientiæ sanatio per fidem in Filium Dei.

IIII. Exempla filij Dei, Abelis, Apostolorum, Martyrum & totius Ecclesiæ, quam oportet similem fieri imaginis filij Dei.

V. Collatio euentuum, Nam in rebus secundis omnes fiunt securiores & insolentiores.

VI. Causæ Finales decem prius recitatæ sunt, quibus testimonia adiungantur.

VII. Agnitio bonę uoluntatis Dei certo promissæ propter Christum, seu beneuolentiæ Dei erga nos.

VIII. Præsentia Dei in ærumnis.

IX. Promissio auxilij diuini corroborantis corda in ærumnis, ut perferre onus possint.

X. Promissio mitigationis calamitatum in hac uita & certæ liberationis uel in hac uita uel in æterna.

XI. Ad has promissiones cum accedit fides statuens Deum nobis adesse & mitigare calamitates, inuocatio,

catio, obedientia, ſpes auxilij & liberationis, patientia &c. hæc omnia coniuncta fiunt ſacrificium Deo gratiſſimum.

XII. Poſtremus & præcipuus conſolationis locus eſt Immortalitas Eccleſiæ, Reſurrectio corporum, & portus uitæ æternæ, in quo Eccleſia liberata ex omnibus miſerijs ſuauiſſime acquieſcet, & noua luce, ſapientia, iuſtícia, gloria & læticia ā Deo complebitur.

DECIMVS LOCVS.

DE IMMORTALITATE HOMINVM, RESVRRECTIONE CORPORVM, ET VITA ÆTERNA.

Recita teſtimonia de Immortalitate Animæ.

Matth. 10. Animam non poſſunt occidere.

Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiſo.

Matth. 17. Chriſtus colloquitur cum Moſe & Elia, qui longe ante mortui fuerant.

Exod. 3. Deus eſt Deus Abrahã, Iſaac & Iacob. Citatur hoc dictum Matth. 22.

Luc. 16. Lazarus et Diues uiuunt,

1. Pet. 2. Chriſtus prædicauit ſpiritibus in carcere.

De Reſurrectione corporum.

Sedes Materiæ de Reſurrectione mortuorum eſt decimumquintum caput prioris Epiſtolæ ad Corinthios.

1. Theſſ. 4. De his qui obdormierunt, nolo uos ignorare fratres, ne lugeatis, ſicut cæteri, qui ſpem reſurrectionis non habent.

Iohan. 5. Veniet hora, cum omnes qui ſunt in ſepulchris, audient uo-

cem filij Dei & prodibunt alij in resurrectionem uitæ, alij in resurrectionem pœnæ.

Iohan.6.Hæc est uoluntas Dei,ut omnis, qui uidet Filium & credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Iohan.11. Resuscitatur Lazarus. Ego sum resurrectio & uita.

Iob. 19. Scio quod in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum &c.

De extremo Iudicio.

Matth.25. Cum uenerit Filius hominis in gloria sua & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit super thronum gloriæ suæ & iudicabit ꝛc.

Act.17. Deus constituit diem, in quo iudicabit mundum in iusticia.

2.Thess.1.In reuelatione Domini Iesu de Cœlo punientur ęterna pernicie, qui non obtemperarunt Euangelio.

Rom.2. Cumulas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei, qui retribuet unicuique iuxta opera sua.

De Vita æterna.

Iohan.3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Ioh.6.Hęc est uoluntas Dei,ut omnis,qui credit in Filium,habeat uitam æternam.

Quid est Vita æterna?

VITA AETERNA erit conspectus Dei, quo Ecclesia resuscitata ex morte, & prorsus ab omni peccato liberata, coram intuebitur essentiam & uoluntatem totius diuinitatis æterni Patris,Filij,& Spiritus sancti, & noua ac perpetua luce, sapientia, iusticia,uita & læticia æterna ā Deo, qui erit omnia in omnibus,complebitur, & uicissim Deum celebrabit.

FINIS.

APPENDIX.

BREVIS ET ERVDITA EXPLICATIO PRECATIONIS DOMINICÆ, PATER NOSTER.

IN hac forma precandi à Christo Lucæ 11. & Matthæi 6. proposita, quinq; Loci præcipuē considerandi sunt.

I. QVIS SIT DEVS, quem compellamus, uidelicet æternus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui se patefecit misso hoc ipso Filio Mediatore, propter quem nos quoque confugientes ad ipsum fide, paterna beneuolentia complectitur, & nostras preces recipit et exaudit. Hanc doctrinam continet cōpellatio Dei, Pater noster.

II. Mandatum Christi, quod præcipit inuocationem, & quidem recitationem huius formæ uerborum ā Christo traditæ.

PRO=

III. PROMISSIO, quod Deus certo uelit nostram inuocationem recipere & exaudire, & bona optata eo ordine & modo exhibere, quem in promissione expressit. Ideo dicimus, Pater noster. Pater est, Ergo paterna beneuolentia & σοφγῆ nos complectitur, ut Luc, 11. multis uerbis dicitur. Si uos, cum sitis mali &c. Et est Noster Pater, Id est, Non solum diligens suum unigenitum Filium, de quo inquit, Hic est Filius meus dilectus, sed etiam propter eum NOS adoptiuos filios amans, respiciens, curans, defendens, exaudiens, saluans.

IIII. Fides addens AMEN promissioni diuinæ.

V. Res petendæ spirituales & corporales, æternæ & præsentes, quæ eruditē in septem petitiones distributæ sunt.

PRIMA PETITIO.

Sanctificetur Nomen tuum.

Nomen ſignificat noticiam, ſeu agnitionem, inuocationem & celebrationem.

Sanctificare ſignificat ſanctum, id eſt, purum, mundum, Deo placens facere, & dicare uſibus diuinis.

Petimus igitur hac oratione, Sanctificetur nomen tuum.

I. Vt notícia ſeu agnitio Dei uera in genere humano conſeruetur, & omnes falſæ opiniones de Deo, & dubitationes ex noſtris mentibus tollantur.

II. Vt uera de Deo doctrina et uox Euangelij late ſpargatur, & deleantur omnia impura dogmata & hæreſes, quibus nomen Dei contumelia afficitur.

III. Vt uera & munda Inuocatione & obedientia, ſine maculis peccatorum Deus colatur & celebretur.

SECVNDA PETITIO.

Adueniat Regnum tuum.

RE-

REGNVM DEI in hac uita eſt gubernatio Dei, qua non ſolum naturam uniuerſam ā ſe conditam, ac genus humanum cuſtodit & conſeruat & ſceleratos punit, ſed etiam per miniſterium Euangelij propter Chriſtum colligit ſibi Eccleſiam omnibus temporibus mundi, & remittit ei peccata, liberat eam ab æterna morte, ſanctificat eam dato Spiritu ſancto, mirabiliter defendit & regit eam oppreſſam cruce in hac uita, reprimit Diabolos & Tyrannos & prauos naturæ impetus, & reſuſcitat eam ex morte ad uitam & gloriam æternam.

Hæc bona omnia, uidelicet

1. Collectio Eccleſiæ per uocem Euangelij. 2. Remiſſio peccatorum. 3. Gubernatio Spiritus ſancti. 4. Defenſio in hac uita. 5. Hæreditas regni Cœlorum petuntur hac oratione, Adueniat Regnum.

TERTIA PETITIO.

Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra.

Hoc eſt:

Petimus, ut noſtræ uoluntates, noſtra conſilia & actiones cum uoluntate & uerbo tuo congruant. Flecte noſtras uoluntates, ut tibi in tolerandis rebus aduerſis, faciendis officijs uocationis, denique in omni uita obediamus, ut Angeli in cœlo tibi obediunt, da fœlices ſucceſſus in uocatione Eccleſiaſtica, Politica & Oeconomica, ut tibi grata fiant.

QVARTA PETITIO.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Significat autem Panis quotidianus, ipſam uitam corporis, bonam ualetudinem, uictum, ueſtitum, pacem, honeſtam diſciplinam, fertilitatem terræ, hoſpitia, domos, defenſionem liberorum, coniugum, bonæ famæ.

Hæc bona omnia ad ſuſtentationem huius uitæ corporalis neceſſaria uult Deus ā ſe peti propter quatuor cauſas.

Prima eſt, ut agnoſcamus Deum datorem & conſeruatorem eſſe huius uitæ corporalis, nec caſu offerri panem quotidianum, ſed certo Dei conſilio diſtribui.

Secunda, Vt ſciamus Deum in hac uita uelle ſeruare Eccleſiam ipſum recte agnoſcentem, inuocantem, & in omni æternitate celebrantem.

Tertia, Vt fides, Inuocatio & gratiarum actio, in petitione, expectatione & uſu Panis quotidiani exerceatur.

Quarta, Vt commonefaciat nos de Chriſto, qui eſt panis uitæ æternæ, de remiſſione peccatorum & bonis ſpiritualibus, quorum petitio ſemper prælucere debet petitioni bonorum corporalium. Ideo ſtatim additur.

QVINTA PETITIO.

Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Qua petitur remissio peccatorum, non propter nostram mansuetudinem seu misericordiam remittentem alijs offensiones & iniurias, sed propter solum Christum, ut tota Euangelij doctrina testatur. Ac ut cætera bona opera necessario remissionem peccatorum comitantur uel sequuntur, ita ut non possit remissio peccatorum & gratia retineri nisi adsint, nec tamen sunt causa remissionis peccatorum, sed effectus uel necessario coniuncta, sic Mansuetudo quoque seu Misericordia remittens alijs offensiones, necessaria est.

SEXTA PETITIO.

Et ne nos inducas in tentationem.

Tentatio significat aliàs sollicitationem seu impulsionem ad quecunque peccata seu lapsus: aliàs calamitates & miserias, quibus uel punimur uel probamur.

Ne inducas, Id est, Non sinas nos impelli à Diabolo ad peccata & lapsus, seu guberna nos Spiritu sancto tuo.

SEPTIMA PETITIO.

Sed libera nos à malo.

Liberato nos ex omnibus malis præsentibus & æternis, à peccato, morte, Tyrannide diaboli, calamitatibus publicis & priuatis, & donato nos uita & lætitia æterna.

Quia tuum est Regnum.

In fine adduntur Causæ impulsiuæ & Finales, propter quas expectamus bona petita in septem petitionibus prioribus.

Tuum

Tuum est Regnum) Tu es Rex et Pater noster, Ideo uis bona promissa dare.

Et Potentia) Et potes nobis dare bona promissa, quia es omnipotens.

Et Gloria) Causa finalis, propter quam petuntur bona, sit Gloria Dei uidelicet, ut, cum Deus exaudit, testetur sibi curæ esse Ecclesiam, ut blasphemi refutentur, qui disputant, non esse DEO curæ res humanas, non exaudiri Ecclesiæ preces, ut fides piorum confirmetur, ut cum hęc beneficia recitantur, multi agnoscant Deum, & inuitentur ad Timorem Dei & Fidem, ut Gratiarum actione Deus celebretur.

Amen.) Certum sit, & eueniat, quod petimus, Hæc nostra precatio non est inane murmur, sed certo statuimus exaudiri nostras preces, & certo impetrari optata bona iuxta promissiones, Amen.

REGV=

REGVLA VITÆ.

PHILIP. MELANTH.

NVllius est fœlix conatus & utilis unquam
Consilium si non detq; iuuetq; Deus.
Tunc iuuat ille autem, cum mens sibi cōscia recti
Mandati officij munera iusta facit.
Et simul auxilium præsenti à numine CHRISTI
Poscit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;,
Nauis & aura tuæ uela secunda uehet.
Inuictamq; Dei dextram uis nulla repellet,
Omnia cogentur cedere prona Deo.
Ipsa etiam, quamuis Adamanti incisa feruntur,
Cum petimus, cedunt fata seuera Deo.
Nec Deus est numē Parcarum carcere clausum,
Quale putabatur stoicus esse Deus.
Ipse potest solis currus inhibere uolantes,
Ipse uelut scopulos flumina stare iubet.

Precatio ex 2. Paral. 20, expressa uersibus.

PHILIP. MELANT.

IN tenebris nostræ & densa caligine mentis
Cum nihil est toto pectore consilij.

Tur=

Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamq; fides solius orat opem.
Tu rege consilijs actus pater optime nostros,
Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

TE maneat semper seruãte Ecclesia Christe
Insertosq; ipsi nos tua dextra tegat.
Tres uelut in flamma testes Babylonide seruas
Rex ubi præsentem te uidet esse Deum.

Precatio sumpta ex dicto Genes; 1.
Spiritus Dei fouebat aquas.

PHILIP. MELANTH.

SPiritus ut Domini nascentia corpora fouit
Cum manus artificis conderet ipsa Dei.
Sic foueat cœtus, qui Christi oracula discunt
Accendatq; igni pectora nostra suo.

G. F.

In studijs toto Dominum cole pectore Christum
Is parui merces magna laboris erit.

VITEBERGAE

EX OFFICINA IOANNIS CRATONIS, IMPENSIS CVNRADI RVELII.
ANNO M. D. LX.